

Unicus est solus modus re-
tendi est Interroga-
tio nis

1. Quia nulla aptior est ad profi-
ciendum in literis inia, neque componendi
oritur ad eruditionem et peritiam con-
sequendam ratio, quam interrogandi
docere eo discere.
2. Quia in iudiciorum non potest certius
et melius iudicare de profectu disci-
puli quam quando querendo ex iisdem
quo modo interrogantur acciperint.
3. Quia haec repetendi est revolvendi
via, profecta ab interrogatione con-
ducit ad brevitatem tum ad per-
spicuitatem, et liberaehibitionibus.
4. Quia haec est antiquissima ratio do-
cendi, quippe Socratica et eorum
et eiusdem fuisse.

**QVÆSTI
ONES RHETORICAE**

ex libris M. T. Ciceronis, Quintilian
ni, & Pphilippi Mel. collectæ,
& denuo recognitæ,
et auctæ.

PER GEORGIVM
Maiorem.

QVIBVS ADIECTAE SVNT
aliquot orationes, quarum in
dicem uersa pagella in
dicabit.

TVBINGAE APVD HÆS
redes Vlrici Morhardi. Anno
M. D. LIII.



Compt

I N D E X O R A T I O N V M,
quæ Quæstionibus Rhetor.
adiectæ sunt.

*Commendatio eloquentiæ ex primo lib. Ciceronis
de Oratore & Quint. sumpta.*

*Philippi Macedonis oratio, in qua filiorum scelera
execrantur.*

*Demetrii & Persei fratrum orationes, Ex lib. des-
cimo Liviij 4. Deca.*

*M. T. Ciceronis pro A. Licinio Archipoeta or-
atio, Cum dispositione Philip. Melancht.*

*Q. Fabij Maximi, & P. Cornelij Scipionis Afri-
cani, orationes, Ex 8. lib. 3. Decad. Liviij.*

*Laudationis Exemplum de Thucydide historico
ex Aphthonio Græco.*

*Declamatio de sancto Augustino autore Philippo
Melanchtone.*

*Vituperatio Philippi Macedonis ad imitationem
Aphthonij.*

*Pro M. Marcello oratio, diligenter à Philip. Mel.
distributa.*

Annibalis ad Scipionem oratio.

*Scipionis ad Annibalem oratio, ex lib. 10. tertio
Decad. Liviij.*

GEORGIUS MAIOR

Lectori Salutem.



V M superioribus diebus libros de
Dialectica Philippi Melanctonis,
præceptoris nostri, unâ cum quæsti-
onibus Dialecticis, quas in iuuentu-
tis gratiam uir doctiss. priuatim scri-
psit, scholæ nostræ prælegerem,
animaduerti quantum utilitatis ex isto Erotematum
compedio nostra pueritia caperet, cui illa Dialectica
præcepta, quanquam ita tradita, ut nihil lucis desi-
derare possis, tamen initio, ut solent omnium artium
principia, sub obscura et difficilia uidebantur. Sed po-
steaquam quæ in Dialecticis libris copiosius & su-
sius docebantur, ea in hac Epitome tanquàm fusce
quodam, optimo & breuissimo ordine comprehensa
uiderunt, dici nõ potest, quantum hæc Methodus ado-
lescentum tum studia tum memoriam adiuuerit. Qua-
re nõ temerè à M. Cicerone atq; alijs grauiss. autorib.
factum uideo, ut artium præcepta quæ prolixis com-
mentarijs quasi latioribus campis tradidissent, ea in-
terdũ etiam in eiusmodi breues quæstiones colligeret,
& tanquàm in alueum suum reuocarent. Habet enim
utraq; docendi ratio magna commoda. Nam quæ co-
piosius sunt tractata, plenius etiam & uberius do-
cent, Et quæ suis quasi pomerijs et septis sunt circum-
scripta, præterquam quòd propter breuitatem sunt

A 2 grata

E P I S T O L A

grata, tum animi cogitationes nō sinunt euagari longius, & in sui contemplatione mentem detinent, tum nuda praecepta, detractis ornamentis, quibus antea uestita erant, sic ob oculos ponunt, ut ab imperiti- oribus facilius & intelligi & memoriae affigi possint. Quare neutra ratio, uel copiosa illa, uel cōpen- diaria à studiosis negligi, sed altera alteri cōiungi des- bet. Hoc itaq; tempore cum Elementorum Rhetoris- ces libros duos eiusdem Philippi Mel. praelegerem, uidi & in hac dicendi arte à iuuentute desiderari questionum methodum. Collegi itaq; tumultuaria (ut satis legentibus apparebit) opera, ex M. C. Quin- tilia. & Philip. Mel. libris hæc Erotemata, quibus adolescentes interim ad hæc sua studia uterentur, dum quid olim perfectius & absolutius uel à Philip. ipso, uel alijs doctis uiris ederetur: addidiq; singulis causarum generibus exempla, orationes aliquot Ci- cer. Liniij & quorundam aliorum, quæ praeceptis aliquid lucis afferrent. Neq; hæc ideo contuli, ut per- fectam artis cognitionem traderem (qui enim hoc in tali compendio fieri possit? aut unde Rhetorices Ele- menta quàm ex ipsius Philippi, Erasmi Roterom. aut aliorum doctissimorum hominum libris facilius iu- uentus disceret?) Sed ut solum hac puerili ratione discentium memoriam adiuuarem. Parum enim, (quod ad artis cognitionem attinet) proderit hæc ἐπιτομή, nisi libris Philip. Mel. de Rhetorica, ex qui-
bus

NVNCVPATORIA.

bus hæc magna ex parte transcripta sunt, fuerit
coniuncta. Nam isthic adhibitis pulcherrimis exem-
plis, omnia traduntur & copiosius & maiore cum
luce. Neq; uerò ullo modo has quæstiones eram edi-
turus, quòd uideam eas haud facillè istam publicam
lucem ferre posse, sunt enim in priuatum nostræ scho-
læ usum collectæ, nisi quod in Dialecticis quæstioni-
bus contigerat, cum multum temporis in dictando no-
bis perire, tum mendosissime à pueris transcribi ui-
dissem. Quæ quoq; fuit ratio, cur precibus etiam im-
portunioribus à Philippo præceptori nostro petere-
mus quæstionum Dialecticarum editionem matura-
ri, id quod nos breui impetraturos omninò confido.
Hoc itaq; quicquid est laboris, Lector candide, cum
iuuentutis gratia sit susceptura, benigne interpreta-
bere. Nam ea calumniari quæ ad pueritiæ studia pro-
uehenda parantur, quantumuis sint tenuia ac pueri-
lia, hominis est & minime boni, & iuuentutis
studijs parum dextrè fauentis. Vale Magde-

burgi Calend. Augusti.

M. D. XXXV.

A 3

Quæ

QVAESTIONES RHETORICAE EX
libris Rhetoricis. M. T. Ciceronis, Quintiliani
& Philippi Melanctonis.

Quid est Rhetoricæ?

Est ars quæ docet viam ac rationem, rectè & ornatè dicendi.

Quæ est differentia inter Rhetoricam & Dialecticam?

Dialecticus res omnes per $\alpha\iota\omega\gamma\epsilon\alpha\ \phi\iota\alpha\mu$ quandam depingit, & adumbrat tantum, Orator uero uiuos adhibet colores, & suo splendore & ornatu res à Dialectico nude & simpliciter conceptas, uestit ac perpolit. Deinde Dialecticus certa quadam ratione ac Methodo tantum docet. Orator uero, tum docet, tum auditorum animos ui quadam orationis, quocunq; uult, ducit, rapit atq; impellit.

Quis est usus Rhetoricæ?

Eius usus est duplex, Primus ubi ad naturam & præceptorū ac omnium artium cognitionem, accesserit frequens dicendi usus, ut orator quæcunq; res incidet (ut ait M. Cicero) quæ sit dictione explicanda, prudenter & compositè, & ornate & memoriter dicat, cum quadam actionis etiam dignitate, quæ non simplicis Rhetoris sed maxime Oratoris est facultas.

Alter, cum illa, quorum iam facta est mentio desunt, ut ex his præceptis, de omnium hominum scriptis & oratione, certò iudicare possimus. Quare si
natura

COMMENDATIO.

natura ad istam diuinam dicendi uim aspirare uetet,
uel propter postremū solum usum, Rhetorica discen-
da erit, Nam, Est quoddam prodire tenus si non da-
tur ultra. Erit itaq; breuiter eius finis, bene dicere,
uel dicendo persuadere, et de scriptis aliorū iudicare.

Quomodo consumatur orandi facultas,
aut quibus rebus opus habet
futurus Orator?

Natura, arte & exercitatione, quibus compre-
henduntur, Imitatio, Studium, Stylus, & Lectio.

Est ne statim eloquens aut Orator,
qui hæc dicendi præce-
pta tenet?

Minimè, Nam Eloquentia & Oratoria facultas
omnium bonarum artium & rerum cognitionem, ac
maximum dicendi usum postulat, quibus nisi Orator
sit instructus, magis in desertorum quàm eloquentiū
numero habebitur, ut M. Cicero ait, Disertos se co-
gnouisse nonnullos, eloquentem adhuc neminem.

Est ne ars digna in quam multum
studij aut operæ ponatur?

Omnino, ut si qua est alia, id quod grauiſsimorum
autorum testimonio M. T. Ciceronis, & Quintiliani
comprobatur, Quorum hic eloquentiam his uerbis
commendat. Et Hercle Deus ille princeps, parens re-
rum, fabricatorq; mundi, nullo magis hominē separa-
uit à cæteris, q̄ quidem mortalia essent animalib. quā

ELOQVENTIAE.

αἰκόλο- dicendi facultate. Nam corpora quidem, magnitudi-
γία, per ne, uiribus, firmitate, patientia, uelocitate, præstan-
collationē. tiora in illis mutis uidemus, eadem minus egere ac-
 quisitæ extrinsecus opis. Nam & ingredi citius, &
 pasci, & tranare aquas, citra docentē natura ipsa sci-
 unt, et pleraq; contra frigus ex suo corpore uestiuntur,
 & arma ijs ingenita quædam & ex obuio ferè uictus,
Ratione et circa quæ omnia multus hominibus labor est. Ratio-
potissimū nem igitur nobis præcipuam dedit, eiusq; nos socios
sermonis esse cum dijs immortalibus uoluit. Sed ipsa ratio, neq;
facultate tam nos iuuaret, neq; tam esset in nobis manifesta, nisi
nos præsta- quæ concepissimus mente, promere etiam loquendo
re alijs ani- possemus, quod magis deesse cæteris animalibus, quàm
mantibus. intellectum & cogitationem quandam, uidemus. Nam
Bruta quæ & moliri cubilia, & nidos texere, & educare foetus,
dā habere & excludere, quin etiam reponere in hyemem ali-
quandam menta, opera quædam nobis inimitabilia, qualia sunt,
rationem. cerarum, & mellis, efficere, non nullius fortasse ra-
 tionis est, sed quia carent sermone, quæ id faciunt,
Adhorta- muta atq; irrationabilia uocantur. Deniq; homines
tur ad Elo- quibus negata est uox, quantulum adiuuat animus
quentiæ ille cœlestis? Quare si nihil à dijs oratione melius ac-
studium, cepimus, quid tam dignum cultu ac labore ducamus.
& primū aut in quo malimus præstare hominibus, quàm quo
ab honesto. ipsi homines cæteris animalibus præstent? Eo qui-
Ab utili. dem magis, quòd nulla in parte plenius labor gra-
 tiam refert. Id adeo manifestum erit, si cogitaueri-

COMMENDATIO.

mus & unde, & quousq; iam profecta sit dicendi fa-
 cultas & adhuc augeri potest. Nam ut omittā defen-
 dere amicos, regere consilijs senatum, populum, ex-
 ercitus, in quæ uult ducere, quàm sit utile, conue-
 niatq; bono uiro, nonne pulchrum uel hoc ipsum est,
 ex communi intellectu, uerbisq; quibus utantur om-
 nes, tantum assequi laudis & gloriæ, ut non loqui &
 orare, sed, quod periculi contigit, fulgurare, ac ton-
 re uidearis? Neq; uero etiam Ciceronis uerba ascri-
 bere pigebit, quibus lib. i. de Oratore ad Q. fratrem. *Ἐπιτομή*
 Crassus Sulpitium & Cottam ad eloquentiæ studium publicorū
 hortatur, cum sic ait. *Ἐπιτομή*

Congeries
utilitatum

A iucundo

Ἐπιτομή

Ἐπιτομή

publicorū

commodo

Neq; mihi uero quicquam præstabilius uidetur,
 quàm posse dicendo tenere hominū coetus, mentes al-
 licere, uoluntates impellere, quò uelit, unde autem ue-
 lit deducere, Hæc una res in omni libero populo, ma-
 ximeq; in pacatis tranquillisque ciuitatibus, præcipue
 semper floruit, semperq; dominata est. Quid enim
 est aut tam admirabile, quàm ex infinita multitudi-
 ne hominum, existere unum, qui id, quod omnibus na-
 tura sit datum, uel solus uel cum paucis facere pos-
 sit? Aut tam iucundum cognitu atq; auditu, quàm sa-
 pientissimis sententijs grauib; uerbis ornata ora-
 tio & perpolita? Aut tam potens atq; magnificum,
 quàm populi motus, iudicum religiones, senatus gra-
 uitatem unius oratione conuerti? Quid tam porro
 regiū, tam liberale, tam magnificum, quàm opem fer-

rum Elo-

quentiæ.

Ab honesto

A iucundo

Ab effecti.

A fructu.

A 5 re sup

ELOQVENTIAE.

A. necessa- re supplicibus, excitare afflictos, dare salutem, libe-
rio. rare periculis, retinere homines in ciuitate? Quid
autem tam necessarium, quàm tenere semper arma,
quibus uel tectus ipse esse possis, uel prouocare im-
probos, uel te ulcisci lacebitus? Age uero, ne semper
forum, subsellia, rostra, curamq; mediteris, quid esse
potest in ocio, aut iucundius, aut magis proprium
humanitatis, quàm sermo facetus, ac nulla in re ru-
dis? Hoc enim uno praestamus, uel maxime feris,
Priuatus quòd colloquimur inter nos, Et quòd exprimere di-
Eloquen- cendo sensa possimus. Quamobrem quis hoc iure
tie usus. non miretur, summeq; in eo elaborandum esse arbi-
tretur, ut quo uno homines maxime bestijs prae-
stent, in hoc hominibus ipsis antecellat? Ut uero iam
ad illa summa ueniamus, quae uis alia potuit, aut
dispersos homines unum in locum congregare, aut
à fera agrestiq; uita, ad hunc humanum cultum, ci-
uilemq; deducere? aut iam constitutis ciuitatibus le-
ges, iudicia, iura describere? Ac ne plura, quae sunt
pene innumerabilia, conspicer, comprehendam
Epilogus. breui. Sic enim statuo, perfecti oratoris moderatio-
ne & sapientia, non solum ipsius dignitatem, sed &
priuatorum plurimorum, & uniuersae Reipublicae
salutem maxime contineri. Quamobrem pergite,
ut facitis, adolescentes, atq; in id studium in quo estis,
incumbite, ut & nobis honori, & amicis utilitati,
& Reipublicae emolumento esse possitis.

Quod

GEORG. MAIO.

Quod est officium oratoris?

Est, ut apposite dicat ad persuasionem, hoc est, doceat, moueat, & delectet.

QVIBVS REBVS AVT QVOT
partibus consequimur istam persuasionis facultatem?

Quinq; Inueniendo, Disponendo, Eloquendo, memoria & pronuntiatione.

Quid est inuentio?

Est (ut M. Cicero definit) excogitatio rerum uerarum, aut uerisimilium, quae causam probabilem reddunt.

Quid est dispositio?

Est rerum inuentarum in ordinem distributio.

Quid est elocutio?

Est idoneorum uerborum, & sententiarum ad inuentionem accommodatio.

Quid est memoria?

Est firma, animi, rerum, ac uerborum ad inuentionem perceptio.

Quid est pronuntiatio?

Est ex rerum & uerborum dignitate uocis & corporis moderatio.

Cum autem omnis sermo & oratio, ex rebus & uerbis constet, sic haec quinq; partes distribuuntur, ut res ac dispositio inuentioni, uerba & pronuntiatio eloquutioni tribuatur.

Quinto

QVAESTIO. RHETO.

Quinta uero pars Memoria, communis & reli-
quorum omnium tanquam custos est.

CVM TAM VARIASINT NEGOCIA,
de quib. dicendum est Oratori,

Quomodo in tanta causarum uarieta-
te, certa dicendi præcepta tradi
& perscribi possunt?

TRia sunt omniū causarum genera, siue com-
munia capita, quibus omnia negocia, de qui-
bus dici potest, comprehensa et inclusa sunt, ex quib.
tanquam certis classibus, aut communi promptuario,
quacunq; de re dicturus Orator, ad causam, locos,
& dicendi materiam mutuatur. Iudiciale nempe, De-
liberatiuum et Demonstratiuum. Ad hæc tria genera
lia causarum genera, reliqua omnia negocia, de qui-
bus dicendum est, tanquam ad fontes referuntur, ut
AD IUDICIALE, Accusationes, Excusatio-
nes, Defensiones, Expostulationes, Expurgationes,
Exprobrationes, Graues querelæ, Cōminationes, In-
uectiuae, Deprecationes, Inquisitiones, Delationes,
Obiurgationes, & his similes causæ. AD SVASO-
RIVM uero siue Deliberatiuum genus referuntur,
Conciliatio, Reconciliatio, Exhortatio, Dehortatio,
Consultatio, Suasio, Dissuasio, Mitigatio, Conso-
latio, Petitio, Commendatio, Monitio, Pollicitatio,
Mandatum, Promissio officij aut operæ & similia.

AD DE

GEORG. MAIO.

AD DEMONSTRATIVUM Gratiarum actio, Laudes, Vituperia, Narrationes, Expositiones historiarum, Gratulationes, Lamentationes, Leues quærelæ, Benefactorum aut malefactorum commemoratio, Descriptiones personarum, Regionum, Prædiorum, Artium, Fontium, Hortorum, Monstrorum, Tempestatum, Itinerum, Conuiuiorum, Pomparum, & pleraq; alia.

Est et Quartum genus DIDASCALICON, Cuius magnus usus est in scholis & docenda multitudo de Religione & quouis officio. Vtimur autem hoc genere, in Docendo, Sciscitando, Interrogando, Respondendo, Differendo, Exponendo siue interpretando Leges, sacra, & omnis generis scripta.

QVORSVM PRODEST

nosse causarum genera:

Principiò prodest ad hoc, posteaquam tempus, casus, aut necessitas, negocium, de quo dicendum aut scribendum est, obtulerit, ut cognito causæ genere, petamus ex eius locis dicendi materiam, & argumenta, quibus negocium commode tractari & exponi possit. Deinde, ut cernere possimus, qui sit totius causæ & orationis finis, seu scopus. Suasoriæ enim orationes iubent aliquid fieri, & ostendunt, quid utile aut inutile.

Demonstratiuæ, uersantur in honestate aut turpitudine

Q V A E S T I O. R H E T O.

studine tractanda, Iudiciales ostendunt quid sit, sit ne quale sit, de quo controuertitur. Didactici uero generis, proprium est docere, unde et nomen habet.

S V N T N E O M N I A N E G O T I A
unius tantum generis?

Minime, Inuenias enim negotium, in quo causarum genera sunt mixta, ut quidam loci ad negotium tractandum, ex Iudiciali, quidam ex Demonstratiuo, aut suasorio sint mutuandi.

D E G E N E R E D I D A S C A L I C O.

Quid est genus Didacticon?

Est, quod constat Dialectica methodo, Quae uero sit ista methodus, docent Dialectici.

Q V O T V P L I C E S S V N T Q V A E =
stiones huius generis?

Duplices, Simples, et coniunctae.

Quid est quaestio Simplex?

Est cum de una uoce quaeritur, ut *Quid sit uirtus. Quid sit fides.*

Quid est quaestio coniuncta?

Est integra propositio, quae, aut est confirmanda, aut confutanda, ut, oporteat ne discedere à facultatibus suis Christianum, Sint ne Christiani soluti omnibus legibus?

Q V I B V S L O C I S T R A C T A T V R
quaestio simplex?

Per hos locos, *Quid sit, Quae sint partes, uel species,*

GEORG. MAIO.

cies, *Que causa, Qui effectus, Que cognata & pugnancia.* Exempli causa, *Fortitudo, est uirtus, qua quis eundem mentis statum retinet rebus uel secundis, uel aduersis.* Partes, *ut alia est togata, alia bellica.* Cause, *Deus mouens, & excitans peculiari quadam ui quorundam animos ad res magnas, uel gerendas, uel tollerandas, Effectus in omni fortuna perpetuo sibi similem esse, neq; ullis rebus frangi, aut succumbere.* Cognata, *Audacia, Temeritas, Ambicio, Ita & cetera.* Pugnancia, *metus, desperatio.*

QVIBVS LOCIS TRACTANTUR coniuictæ quæstiones?

Tractantur ferè iisdem quibus quæstiones simplices, Ducuntur enim argumenta aut à definitione, Causis, effectibus, Partibus, & pugnantibus. Harum Quæstionum simplicium, & coniuictarum, exempla habes in *Dialectica, & Rhetorica Philippi, & totam in tribus libris de Officijs disputationem M. T. Ciceronis, præterealibellum Philippi de Locis communibus Theologicis, unde exempla petere potes. Neq; enim res ulla commode doceri, ac tractari potest, nisi hanc rationem, Dialecticam Methodum sequare.*

DE GENERE IVDICIALI.

QVIBVS

Q V A E S T I O. R H E T O.

Quid est genus Iudiciale?

Est, quo controuersiae & lites continentur.

Q V O R S V M P R O D E S T H O C

genus, cum hoc tempore non sit ea consuetudo dicendi in foro, quae olim fuit?

P R O D E S T, principio ijs, qui hoc tempore quoq; causas forenses agunt, ut ex Rhetorica dicendi rationem petant. Deinde, ut de aliorum orationibus his praecipis instructi, rectius iudicare, tum ipsi scribendo obscuras controuersias explicare possimus. Postremo, ad tractandas disputationes Ecclesiasticas, in quibus saepe difficiles sententiae explicandae, & quae pugnare uidentur, conciliandae sunt.

Q V O M O D O C O G N O S C V N T V R

in quauis Oratione aut scripto, causarum generae?

Ex statu cuiusq; scripti aut orationis, facile apparet causae genus.

Quid est status?

Status qui (ut Fabius ait) inde nomen habet, Quod in hoc causa consistat, *Sar auff die ganze sache steht*, Est id, quod orator primum instituit, & in animo concipit, hoc est, est summa & tanquam caput totius causae, ad quod, tanquam ad fontem, omnia orationis membra referri necesse est, Estq; simplicissima & breuissima sententia, quae summam orationis comprehendit,

GEORG. MAIOR.

prehendit, ut Orationis Miloniana status est, Clodius à Milone iure occisus est. In Epistola Pauli ad Rom. Iustificamur fide absq; operibus, atq; hæc in genere de statu sint dicta.

Quot sunt status generis iudicialis?

Tres, nam (ut Cicero ait) omne quod in controuersiam uenit, id aut sit, nec ne sit, qui coniecturalis est, aut quid sit, qui finitiuus, aut legitimus, aut quale sit, quem iuridicalem siue negotialem appellant, quaeritur, In primo coniectura ualet, in altero definitio, in tertio ratio, ac primum de coniecturali statu dicemus, indicatis tamen prius orationis partibus.

Quot sunt partes orationis
Rhetoricæ?

Sex Exordium, Narratio, Propositio, Confirmatio, Confutatio & Peroratio.

Quid est Exordium?

Est Oratio, auditoris animum idonee componens ad reliquam dictionem.

Quotuplex est Exordium?

Duplex. Rectum siue apertum, quod Cicero principium, græci προοίμιον uocant, & est oratio quæ statim auditoris animum apertis rationibus nobis idoneum reddit ad audiendum.

Alterum, est obliquum, quod insinuationem Latini, Græci ἐπιώδον uocant, cum occulte, & per dissimulationem

B

mulatio

Q V A E S T I O. R H E T O.

mulationem auditoris animum nobis ad institutam orationem preparamus. Atq; insinuatione tum erit utendum, cum infestum habemus auditorem, aut turpitudine aliqua erit in causa, quæ per insinuationem remouenda, emollienda, aut excusanda erit, ut si quis febrim, aut ebrietatem laudare uelit, aut cum tædium, aut molestia, quæ auditori obrepfit, excutienda est, aut cum non apto loco uel tempore dicendum est, quæ qua ratione sint efficienda, docet Cicero lib. primo de inuentione.

Quot sunt partes Exordij?

Tres, Beneuolentia, Attentio, Docilitas.

Beneuolentia quot locos habet?

Tres, captatur enim beneuolentia primum à personis, deinde à rebus, postremo ab istis quoq; quæ sunt personis & rebus adiuncta.

A personis, quadruplici ratione, uel à nostra, uel eius, de quo dicimus, aut cuius causam agimus, uel ab aduersarij, uel deniq; ab auditorum persona.

A nostra persona, cum dicimus nos cogi ad dicendum ex officio uel cognationis, uel amicitiae, uel rei pub. causa, aut cum initio diluimus suspitionem odij, aut ambitionis. A V T E I V S P E R S O N A, cuius causam agimus, cum eius uirtutes aut in rem pub. merita narramus, propter quæ dignus sit defensione, aut cū mentionem, sexus, ætatis, aut conditionis, inopie, solitudinis, calamitatis facimus, quòd sit in fœminis, senibus,

GEORG. MAIOR.

senibus, pupillis, uiduis, & similibus quibus commiserationem mouemus.

Ab aduersarij persona, si eum aut in odium, aut in inuidiam, aut in contemptionem adducemus. In odium adducuntur, si quid eorum spurce, superbe, crudeliter, maliciose factum proferetur. In inuidiam, si uis, & eorum potentia, eloquentia, diuitiæ, cognatio, nobilitas, pecuniæ proferantur, ut his rebus magis uideantur, quàm causæ suæ confidere. In contemptionem adducuntur, si eorum inertia, negligentia, ignauia, desidiosum studium, & luxuriosum ocium proferetur.

A persona auditorum, si res eorum fortiter, sapienter, mansuete, magnifice iudicatas proferemus. Quod tamen cum modo fieri debet, ut absit assentationis suspicio, & si de his quàm honesta existimatio, quantaq; eorum iudicij, & autoritatis expectatio sit, ostendetur.

A rebus ipsis, si nostram causam laudando extollemus, aduersariorum causam per contemptionem deprimemus.

AB IIS QUAE SUNT CAUSIS

& personis adiuncta.

Sunt autem personis adiuncta liberi, parentes, coniuges, propinquitates, amicitiae, regiones, ciuitates, & si qua sunt alia, quæ de eo cuius causam agimus dici poterunt.

Q V A E S T I O. R H E T O.

C A V S I S adiuncta sunt (ut Fabius ait) **Tempus**, unde principium pro Celio. **Locus**, unde pro Deiotaro. **Habitus aut forma iudicij**, unde pro Milone, **Opinio**, unde in Verrem, deinde **fama iudiciorum**, **Expectatio uulgi**, Nihil enim horum in causa est, ad causam tamen pertinent.

S V N T & peregrina **Exordia**, à **sententijs**, **Votis**, **Exemplis**, **Moribus**, **Legibus**, **Gentium institutis**, & pleraq; alia, Est & hoc obseruandum, quod **exordijs accommodata sint uerba affectuum**, gaudeo, doleo, miror, gratulor, opto, uereor, precor, & similia.

V I T I A, quæ in exordijs sint uitanda docet **Quint. lib. 4. cap. 1.** Et **Cicero lib. 1. de Inuentione.**

Quomodo facimus attentum auditorem?

Si demonstrabimus ea, quæ dicturi sumus esse **Magna**, **Noua**, **Incredibilia**, **Atrocia**, **Necessaria**, **Vtilia**, **Obscura**, **Difficilia**.

Quomodo reddimus dociles?

Si aperte & breuiter summam causæ exponemus, hoc est, in quo consistat **controuersia**, atq; hæc tria **quanquam exordij proprij sint loci**, tamen per totam orationem seruanda sunt oratori, ut auditorem **beneuolum**, **attentum** & **docilem** retineat.

Quid est Narratio?

Est rei factæ, aut non factæ **expositio**, aut oratio **docens auditorem**, quid in **controuersia** sit.

Qualis

GEORG. MAIOR.

Qualis debet esse Narratio?

Breuis, aperta, dilucida, & uerisimilis. BREVIS erit, cum non plus dicetur, quam oportet. APERTA uerò, si uerbis usitatis, si ordine temporum seruato, si non interrupte narrabitur, hoc est, si ordine quem admodum res gesta est, per circumstantias explicabitur. VERISIMILIS uerò erit, si in ea uidebuntur inesse ea, quæ solent apparere in ueritate, si personarum dignitates seruabuntur, & conuenientia personis dicentur, ut furti reum, cupidum adulterij, libidinosum, Homicidij temerarium dicas, si causæ factorum extabunt, si fuisse facultates faciendi uidebuntur, si tempus idoneum, si spatij satis, si locus opportunus ad eandem rem, qua de re narrabitur fuisse ostendetur, si res & ad eorum, qui agunt naturam, & ad uulgi rumorem, et ad eorum, qui audiunt opinionem accommodabitur. Quando autem utenda naratione, aut omittenda sit, consulendi sunt, Cicero & Quintilianus. Neq; enim in hoc compendio omnia tradi possunt.

Quid est Propositio?

Est causæ caput, & præcipua pars totius controversiæ seu certaminis. Hæc narrationi est subiicienda.

Quid est Confirmatio?

Est per quam argumentando, nostræ causæ fidem & auctoritatem, & firmamentum, adiungit oratio,

QV AESTIO. RHETO.

Quot sunt loci Confirmationis in statu coniecturali?

Duo uoluntas & facultas. Voluntas habet duos locos, qualitatem personae, & causam, quae quem induxit ad suscipiendum facinus, Causa habet impulsio-
sionem, & ratiocinationem.

Impulsio est, quae sine cogitatione, per quandam affectionem animi facere aliquid hortatur, ut amor, iracundia, odium, auaritia, aegritudo, dolor, metus, uinolentia, & omnino omnia, in quibus animus ita affectus fuisse ostenditur, ut rem perspicere, cum consilio, cura, non potuerit, & id quod fecit, impetu quodam animi potius quam cogitatione fecerit, & hanc animi commotionem cum tractatione eius loci communis, uidelicet cum ostendet, quanta uis sit, uel amoris, uel irae, qua is qui quid fecisse probatur, impulsus sit. Tum exemplorum commemoratione, qui simili impulsu aliquid commiserint, aut similitudinum collatione oratorem amplificare oportebit.

Ratiocinatio autem est diligens, & considerata faciendi aliquid, aut non faciendi excogitatio, ut si amicitiae quid causa factum dicetur, si inimici ulciscendi, si gloriae, si pecuniae, si denique, ut omnia generatim complectamur, alicuius retinendi, augendi, adipiscendive, commodi, aut contra, reijciendi, diminuendi, deuitandive incommodi causa, In hoc uero loco, quid commodi sit sequutus, aut quid incommodi fuerit

GEORG. MAIOR.

gerit, demonstrabit, & id augebit quàm maxime poterit, ut quoad fieri possit, idonea, quàm maxime causa, ad peccandum hortata uideatur, Si gloria causa, quantam gloriam consequuturam existimarit. Item si dominationis, si pecuniæ, si amicitie, si inimicitie, & omnino quicquid erit, quod causæ fuisse dicet, id summe augere debebit.

EX qualitate uero personæ coniecturæ capiuntur ab istis, quæ sunt personis adiuncta & attributa.

GENVS, siue natales, Nam similes parentibus ac maioribus suis filij plerunq; creduntur, & nonnunquam, ad honeste turpiterq; uiuendum inde cause fluunt, sic Horatius à natalibus. Drusum laudat, Fortes creantur fortibus & bonis, &c. & uulgatum est, qualis pater, talis filius, Mali corui, malum ouum.

NATIO. Alij enim sunt aliarum nationum proprii mores, Pœni fœdi, fragi, molles Arabes, Maurus acer, animosus & fœrox Parthus, Medus horribilis, asper Dacus, Scythæ prostrugi, Latium ferox, Cantaber bellicosus, rigidi Getæ, immanes Rheti, Sycambri gaudentes cæde, infidi persæ, Cretenses mendaces. Sic Paulus κρητες ἀει ψεύσαι καὶ ἀδίκαι α γαστέρες ἀγροί. i. Cretenses semper mendaces, mala bestie, uentres pigri.

PATRIA, aliæ enim sunt aliarum urbium, leges,

Q V A E S T I O . R H E T O .

Consuetudines , & Statuta . S E X V S , ut latrocinium facilius in uiro, in muliere ueneficium credas, Sic apud Ouidium, Hypermestra, Lynco.

Fœmina sum, & uirgo natura mitis, & annis,

Non faciunt molles ad fera bella manus.

A E T A S , alia enim aliæ ætati conueniunt, ætatum uerò discrimina, eleganter describit . Horat . in arte poëtica, Reddere, qui uoces iam scit puer & pede certo &c. Sic ab ætate excusat filium Nausistrata in Phormione, adeon' hoc indignum tibi uidetur, filius homo adolescens si habeat unam amicam, Tu uxores duas?

A E D V C A T I O , et disciplina, magnam enim uim hæc habent, Nam à teneris, ut ait Verg. assuescere multum est, sequiturq; primam æducationem tota fermè reliqua uita.

F O R T V N A , refert enim multum an quis diues sit uel pauper, habeat nec ne amicos, propinquos, patronos, clientes, an his sit destitutus.

C O N D I T I O N I S , etiam distantia est, num clarus an obscurus, Magistratus an priuatus, pater an filius, ciuis an peregrinus, liber an seruus, maritus an cœlebs, parens liberorum, an orbis sit, plurimum distat.

N A T V R A Corporis, siue comoda, aut incommoda, à natura corpori data, ualens aut imbecillis, longus an breuis, formosus an deformis, uelox an tardus sit &c.

N A T V R A

GEORG. MAIO.

NATURA animi, siue commoda, seu incommoda à natura animo data, acutus an hebetior, memor an obliuiosus, comis, officiosus, patiens, prudens, an contra. **VICTVS**, luxuriosus, sordidus an frugi. **HABITVS** animi, aut corporis non à natura datus, sed studio & industria comparatus, ut alicuius artis aut scientiæ perceptio. **AFFECTIO**, ut auaritia, iracundia, modestia &c.

CONSILIUM, quod est aliquid faciendi, aut non faciendi excogitata ratio.

STVDIUM, quod est, assidua & uehemens, ad aliquam rem applicata, magna cum uoluntate occupatio, ut Philosophiæ, Geometriæ, Musicæ, Literarum. Item rusticus, forensis, negociator, miles, eques, nauigator, medicus, Item quid affectet, Locuples uideri an disertus, an potens.

NOMEN, recte Fridericho nomen datum, cum sit pacis studiosus. **POSTREMUM**. Oratio, ex qua quoq; coniectura capitur, ut Cicero pro Milone, Clodius dixit, Milonem triduo, aut ad summum quatuor duo periturum.

ANTEACTA Dictaq; ex præteritis enim æstimari solent præsentia. Atq; hi sunt loci, ex quibus à personarum qualitate trahuntur coniecturæ, et argumenta. Sunt autem pleriq; qui nunc enumerati sunt, qui non incommode ad causam referri possunt, id quod etiam Quintil. monet. Potest autem horum loco

QVAESTIO. RHETO.

rum non in coniecturali tantum statu, sed in pluribus alijs generibus orationum, & causarum esse usus, ut infra in genere demonstratiuo docebimus. Atq; hic est prior locus confirmationis in statu coniecturali, nempe uoluntas, restat nunc ut & de facultate dicamus.

Qui aut quot sunt loci facultatis siue potestatis?

Duo, signa, & circumstantiae.

Quid sunt signa?

Signa sunt facta aut notae alicuius rei, quae etiam ex communi sensu sine doctrina iudicari possunt, sunt enim uel causa uel effectus factorum.

Quotuplicia sunt signa?

Duplicia, necessaria, τεκμήρια, et non necessaria siue probabilia, quae οἰμεῖα aut ενάδα dicuntur.

Prioris exemplum est, peperit, ergo uirgo non est. Posterioris, pallet ergo amat, Erubuit, salua res est, Sepelijt, ergo occidit, & ea omnia, quae ex facti uestigijs sumuntur, ut telum, cruor, fuga, clamor editus, titubatio, permutatio coloris, oratio inconstans, tremor, & eorum aliquid quod sensu percipi possit. Etsi iam ante hoc factum, preparatū aliquid, si communicatum cum aliquo, si uisum, auditum, iudicatum sit. Et haec uerisimilia partim singula mouent suo pondere, partim etiam si uidentur esse exigua per se, multum tamen cum sunt coaceruata proficiunt.

Sunt

GEORG. MAIOR.

Sunt idem quaedam signa antecedentia, quale hoc est Persei contra fratrem Demetrium apud Lirium, frater in hesterna lustratione & decursu militari, me occidisset, nisi meos uinci passus essem, ergo etiam in coena occidere uoluit.

Alia praesentia, ut deprehensus est Demetrius cum armatis comitibus cum ad me comessatum ueniret, ergo ad coenam uocatum interficere uoluit.

Alia consequentia, fugit expalluit.

Quae sunt Circumstantiae?

Locus, tempus, occasio, facultas, instrumenta, modus.

LOCVS, in quo spectatur ad fidem probationis, montanus an planus, maritimus an mediterraneus, consitus an incultus, frequens an desertus, propinquus an remotus, oportunus consilijs, aut facto aduersus: quam partem uidemus uehementissime pro Milone tractasse Ciceronem, & haec quidem & similia, ad coniecturam frequentius pertinent, Sed interim ad ius quoque priuatus an publicus, sacer an prophanus, noster an alienus, de quibus uide latius Fabium.

TEMPVS, in quo praesens, praeteritum, & futurum cernitur, in hoc ipso, uetustum, recens, instans, paulo post, aut aliquando futurum. Insunt etiam in temporibus illa, quae temporis quasi naturam notant.

Q V A E S T I O. R H E T O.

notant ut Hyems, uer, æstas, autumnus, aut anni tempora, ut mensis, dies, nox, hora, tempestas.

OCCASIO, Quæ est pars temporis, habens in se alicuius rei idoneam faciendi aut non faciendi oportunitatem. Est autem triplex tempus occasionis. **Publicum**, est quod ciuitas uniuersa, aliqua de causa frequentat, ut ludi, dies festus, bellum. **Comune** est quod accidit omnibus eodem ferè tempore, ut messis, uindemia, calor, frigus. **Singulare** autem est, quod aliqua de causa priuatim solet alicui accidere, ut nuptiæ, sacrificium, funus, conuiuium, somnus.

FACULTAS, est enim credibilius occisos à pluribus pauciores, à firmioribus, imbecilliores, à præparatis inopinantes &c. Hinc pro Milone sunt coniecturæ, Clodius habuit seruos robustos, Milo mulierum comitatum, ille equo, hic rheda uectus fuit, ille expeditus, hic pœnula irretitus fuit.

INSTRUMENTVM, ex quo signa aliquando nascuntur, ut spiculum in corpore inuentum, gladius, sudes, hasta &c. **MODVS**, per quem inquiritur quæ mente, bona, an mala factum sit, ut clam, palam, uel aut persuasione, uel ex inscitia, necessitate, casu. Ceterum maximam facit fidem ad similitudinem ueri, Primum, exemplum, deinde introducta rei similitudo, fabula etiam, & si sit incredibilis, tamen homines commouet. Sed præter hos locos omnes qui εἰν τεχνολογίαι .i. probantur

GEORG. MAIO.

.i. probationes artificiales dicuntur, sunt etiam alij quidam, qui ἄτεχνοι. i. inartificiales dicuntur, ut sunt præiudicia, rumor & fama, tormenta, tabulae, & chirographa, iusiurandum, testes, atq; hi loci sunt communes, tum accusatori, tum defensori, de quib. uide copiosius Quintil. & Ciceronem. Hoc aut obseruasse hic retulerit, non omnes hos locos, in omnem causam conuenire, Vt enim, omne nomen, non ex omnib. literis scribitur, Sic omnem in causam, non omnis argumentorum copia, sed eorum aliqua pars conueniet, quanquam aut hi loci sint maxima ex parte proprii status coniecturalis, tamen eorum & in alijs causarum generibus, magnus est usus.

DE CONFUTATIONE.

Quid est Confutatio?

Est dissolutio argumentorum, quæ obijciuntur.

Quomodo dissoluuntur argumenta?

Dissoluuntur duplici ratione, Aut enim uitium est in forma, & tunc reijcitur argumentum, reprehensione consequentiæ.

Aut uitium est in materia argumenti, ac tum soluitur argumentum, aut per distinctionem, Ambigua autem distinguendo explicantur, aut per inficiationem, seu negationem, de quibus uide pulcherrime librum quartum Dialecticæ Philippi Melanch. Inficiatio uerò habet eosdem locos, quos in confirmatione posuimus, uoluntatem, nempe & facultatē, Negabimus

Q V A E S T I O . R H E T O .

gabimus igitur illa, quæ obijciuntur, & opponemus rationes, quæ reddant uerisimilem inficiationem, & signa contra nos allata, aut diluemus, aut pro nobis interpretabimur, & propter contrariam signorum interpretationem, duo peculiare loci adduntur defensori.

INVERSIO, cum docemus signum uel causam contra nos allatã, pro nobis facere, ut si occidissẽ, non sepelissẽ, satius fuisset, statim relicto cadauere fugere.

ABSOLVTIO, cum interpretamur signum aut causam aliter, quàm aduersarij: sumpserunt ferrum, non tui occidendi, sed suis defendendi causa, sepelij, sed commotus misericordia, cum obiter præterirem.

D E P E R O R A T I O N E .

Quid est Peroratio?

Est conclusio orationis, quæ consistit, tum in rerum & argumentorum repetitione, & enumeratione, tum in affectibus, hoc est, uel inflammando iudice, uel mitigando, id quibus rebus fiat, hoc compendio docere nequit, sed consulendi sunt Cicero & Quin.

Sed ut harum præceptionum in coniecturali statu usus facilius cerni & indicari possit, subiicio pulcherrimas Demetrii & Persei fratrum orationes ex lib. 10. Liuij 4. Deca. Neq; etiam narrationem ex Liuij pigebit adscribere, ut ex ea cognitis causis huius fraternæ contentionis, eò facilius intelligi possint orationes & tota controversia.

Perseus

ORATIO PERSEI.

Perseus cum indies magis cerneret fauorem & Egregia
 dignitatem Demetrii fratris apud multitudinem Ma- narratio
 cedonum crescere, & gratiam apud Romanos, sibi in qua si-
 spem nullam regni superesse, nisi in scelere ratus, ad id multatis in-
 unum omnes cogitationes intendit. Cæterum cum se ter duos
 ne ad id quidem, quod muliebri cogitabat animo, satis fratres cau-
 per se ualidū crederet, singulos amicorum patris ten- se et occa-
 tare sermonibus perplexis institit, & primo quidam siones ex-
 ex his, aspernantium tale quicquam, præbuerunt spe- ponuntur.
 ciem, quia plus in Demetrio spei ponebāt. Deinde cre- Sodalitium
 scēte indies Philippi odio in Romanos, cui Perseus in- sceleris.
 dulgeret, Demetrius summa ope aduersaretur, pro- Consilia so-
 spicientes animo exitum, incauti à fraude fraterna iu- ciorum.
 uenis, ad iuuandum quod futurum erat rati, fouen-
 damq; spem potentioris, Perseo se adiungunt. Cæte-
 ra in suum quæq; tempus differunt, in præsentia pla-
 cet omni ope in Romanos accendi regem, impelliq; ad
 consilia belli, ad quæ iam sua sponte animum incli-
 nasset, simul ut Demetrius indies suspectior esset, ex Cause of-
 composito sermones ad spretionem Romanorum tra- fensi patris
 hebant. Ibi alij cum mores, & instituta eorum, alij res à Deme-
 gestas, alij speciem ipsius urbis nondum exornatæ trio.
 neq; publicis, neq; priuatis locis, alij singulos princi-
 pum eluderant, iuuenis incautus, & amore nominis
 Romani, & certamine aduersus fratrem omnia tu-
 endo suspectum se patri, & opportunum criminibus
 faciebat. Itaq; expertem eum pater omnium de rebus
 Romanis

O R A T I O P E R S E I.

Occasio
qua suū o-
dium erga
fratrē pro-
dit Perseus
Inuidiosa
accusatio
fratris.

Causa odij.

Secunda
pars narra-
tionis, qua
describi-
tur occasio
maioris si-
multatis
et odij.
Descriptio
lustratio-
nis exerci-
tus Mace-
donici.

Romanis consiliorum habebat, totus in Persea uersus, cum eò cogitationes eius rei dies ac noctes agitabat. Redierant, quos fortè miserat in Bastarnas ad accersenda auxilia, adduxerantq; inde nobiles iuuenes et regij quosdam generis, quorum unus sororem suā in matrimonium Philippi filio pollicebatur, erexeratq; consociatio gentis eius animum regis. Tum perseus. Quid ista profunt inquit, nequaquam tantum in externis auxilijs est praesidij, quantum periculi fraude domestica. Proditorem nolo dicere, speculatorem certe habemus in sinu: cuius, ex quo obses Romæ fuit: corpus nobis reddiderunt Romani, animum ipsi habent, omnium penè Macedonum in eum ora conuersasunt, nec Regem se alium rentur habituros esse, quàm quem Romani dedissent. His per se agra mens senis stimulabatur, et animo magis quàm uultu ea crimina accipiebat. Forte lustrandi exercitus uenit tempus, cuius solenne est tale, Caput mediæ canis præcisæ, prior pars ad dexteram cum extis, posterior ad læuam uicæ ponitur, inter hanc diuisam hostiam, copiæ armatæ traducuntur, præferuntur primo agmini arma insignia omnium ab ultima origine Macedoniae regum, deinde Rex ipse cum liberis sequitur, proxima est regia cohors custodesq; corporis, postremū agmen Macedonum cætera multitudo claudit, latera regis duo filij iuuenes cingebant, Perseus iam trigessimū annum agens, Demetrius quinquennio

ORATIO PERSEI.

quennio minor, medio iuuentæ robore ille, hic flore
 fortunati patris matura soboles, si mens sana fuisset.
 Mos erat lustrationis sacro peracto decurrere exer- **Decursio**
 citum, & diuisas bifariam duas acies concurrere ad **militaris.**
 simulachrum pugnae, regij iuuenes duces ei ludicio
 certamini dati. Cæterum non imago fuit pugnae, sed
 tanquam de regno dimicaretur ita concurrerunt:
 multaq; uulnera sudibus facta, nec præter ferrum
 quicquam defuit ad iustam belli speciem. Pars ea, quæ **Alia causa**
 sub Demetrio erat, longè superior fuit, id ægre pati- **odij.**
 ente Perseo, letari prudentes amici eius, eamq; rem
 dicere ipsam præbituram causam criminandi iuue-
 nis. Conuiuium eo die sodalium, qui simul decurre-
 rant, uterq; habuit. Cum uocatus ad cœnam ab De-
 metrio Perseus negasset: festo die inuitatio benigna,
 & hilaritas iuuenilis, utrosq; in uinum traxit, com-
 memoratio ibi certaminis ludicri, & iocosa dicta in
 aduersarios, ita, ut ne ipsis quidem ducibus abstinere-
 tur, iactabantur. Ad has excipiendas uoces specula-
 tor ex conuiuiis Persei missus, cum incautior obuer-
 saretur, exceptus à iuuentibus fortè triclinio egressis
 male mulctatur. Huius rei ignarus Demetrius, quin **Occasio ex**
 comessatum inquit, ad fratrem inuis? & iram eius, si **qua Deme-**
 qua ex certamine residet, simplicitate & hilaritate **trius nullo**
 nostra lenimus? Omnes se ire conclamarunt, præter **suo merito**
 eos, qui speculatoris ab se pulsati præsentem ultio- **à fratre a-**
 nem metuebant: cum eos quoq; Demetrius traheret. **puđ patrē**
 C **ferrum accusatur.**

ORATIO PERSEI.

γνώμη.

ferrum ueste abdiderunt, quo se tutari, si qua uis fieret, possent, Nihil occulti esse in intestina discordia potest, utraq; domus proditorum & speculatorum plena erat, præcurrit index ad Persea, ferro succinctos nunciens cum Demetrio quatuor adolescentes uenire, etsi causa apparebat (nam ab ijs pulsatum conuiuiam suam audierat) tamen infamandæ rei causa ianuam obseruari iubet: & ex parte superiore ædium uersisq; in uiam fenestris, commessatores tanquam ad cædem suam uenientes, aditu ianue arcet. Demetrius per uinum quod excluderetur, paulisper uociferatus, in conuiuium redit totius rei ignarus. Postero die Perseus quum primum conueniendi potestas patris fuit, regiam ingressus perturbato uultu in conspectu patris tacitus procul constitit, cui cū pater, satin saluæ res? & quæ nam mœstitia esset? interrogaret eū: de ludicro tibi, inquit, uiuere me scito: iam non occulto à fratre petimur insidijs. nocte cum armatis domum ad interficiendum me uenit. clausisq; foribus, parietumq; præsidio me à furore eius sum tutatus. Cum pauorem mixtum admiratione patri iniiecisset: atqui si aures præbere potes, inquit, manifestam rem teneas, faciam. Enim uero se Philippus dicere auditurum, uocariq; ex templo Demetrium iussit: & seniores duos amicos expertes inter fratres certaminum, infrequentes iam in regia, Lysimachū, & Onomastum accersit, quos in consilio haberet.

Accusatio
qua falsum
crimen ad
patrem de-
fertur.

Descriptio
iudicij.

Dum

ORATIO PHILIPPI.

Dum ueniunt amici, solus filio procul stante multa secum animo uolutans in ambulo ait, posteaquam uenisse eos nunciatum est, secessit in partem interiorum cum duobus amicis, totidem custodibus corporis, filiis, ut ternos inermes secum introducerent, permisit. Ibi cum consedisset.

Sedeo inquit, miserrimus pater iudex inter duos filios, accusatorem parricidij, & reum, aut conficti, aut admissi criminis, labem apud meos inuenturus. Iam pridem quidem hanc procellam inminentem timebam, cum uultus inter uos minime fraternos cernerem, cum uoces quasdam exaudirem.

Sed interdum spes animum subibat deflagrare iras uestras, purgari suspitiones posse. Etiam hostes armis positus foedus icisse, & priuatas multorum simultates finitas, subituram uobis aliquando germanitatis memoriam, puerilis quondam simplicitatis consuetudinisque inter uos, meorum denique preceptorum: que uereor, ne uana surdis auribus cecinerim.

Quoties ego audientibus uobis detestatus exempla discordiarum fraternarum, horrendos euentus eorum retuli: quibus se stirpemque suam, domos, regia, funditus euertissent? Meliora quoque exempla parte altera posui, sociabilem consortionem inter binos Lacedaemoniorum Reges salutarem, permulta secula ipsis patrieque, eandem ciuitatem, posteaquam mos sibi cuique rapiendi Tyrannidem exortus sit,

C a euersam.

Oratio Philippi qua filiorum scelera ex-

ecratur,

Prouerbiū.

Amplificat scelus a

suis moni-

tis.

Ab exem-

plis.

ORATIO PHILIPPI.

euerſam, iam hos Eumenem Attalumq; fratres à quã
 exiguis rebus prope ut puderet regij nominis: mihi
 Antiocho, & cuilibet regum huius ætatis, nulla re
 magis, quàm fraterna unanimitate regnum æquaffe.
 Ne Romanis quidem exemplis abſtinui, quæ aut uifa
 aut audita habebant. T. & L. Quintiorum, qui bellũ
 mecum gesserunt, P. & L. Scipionum, qui Antio-
 chum deuicerunt, patris patruiq; eorum, quorum
 perpetuam uitæ concordiam mors quoq; miſcuit,
 Neq; uos illorum ſcelus ſimilesq; ſcleri exitus à ue-
 cordi diſcordia potuit, neq; horum bona mens, bona
 fortuna ad ſanitatẽ ſlectere. Viuo & ſpirante me
 hæreditatem meam ambo, & ſpe, & cupiditate im-
 proba petitis, eòſq; me uiuere uultis, donec alterius
 ueſtrum ſuperſtes haud ambiguum regem alterum
 mea morte faciam. Nec patrem poteſtis pati, nihil
 chari, nihil ſancti numinis noſtis, cuius uice regni
 unius inſatiabilis amor ſucceſſit. Agite conſcelerate
 aures paternas, decernite criminibus mox ferro de-
 creturi: dicite palàm, quid tueri poteſtis, aut cõminiſci
 libet, reſerate aures ſunt, quæ poſthac, ſecretis alte-
 rius ab altero criminibus, claudentur. Hæc furens ira
 cum dixiſſet, lachrymæ omnibus oborta, & diu moe-
 ſtum ſilentium tenuit. Tum Perſeus.

ORATIO PERSEI. Aperienda ni-
 mirum nocte ianua fuit, & armati commeſſatores ac-
 cipiendi, præbendumq; ferro iugulum, quando non
 creditur

Auget ſce-
 lus ex cir-
 cumſtãtijs.
 πρὸς

Peroratio
 uehemens.
 Inſinuatio
 qua miris
 affectib. in
 cõcitati pa-
 tris animũ
 irrepit, eũ-
 q; mitigat,
 et cũ ab ei-
 uſtũ à ſuo
 periculo
 beneuolen-
 tiã captat.

ORATIO PERSEI.

creditur nisi perpetratum facinus, & eadem petitus VEHEMENS
 insidijs, audio quæ latro atq; insidiator. Non nequic- et oportu-
 quam isti unum Demetrium filium te habere, me sub- nū πῶδος.
 ditum & pellice genitum appellant. Nam si gradum,
 si charitatem filij apud te haberem, non in me que- Ratio à
 rentem deprehensas insidias, sed in eum, qui fecisset præsentì
 seuires. Nec adeo tibi uilis uita esset nostra, ut nec parentis
 præterito periculo meo mouereris, neq; futuro, si in- factò.
 sidiantibus sit impune. Itaq; si mori tacitum oportet-
 at, taceamus: precati tantum Deos, ut à me cœptum Ex minore
 scelus, in me finem habeat, nec per meum latus tu pe- reddit at-
 taris. Sin autem quod circumuentis in solitudine na- tentum.
 tura ipsa subijcit, ut hominum quos nunquam uide-
 rint, fidem tamen implorent, mihi quoq; ferrum in Obtestatio
 me strictum cernenti, uocem mittere liceat, per te qua simul
 patriumq; nomen, quod utri nostrum sanctus sit, fratri mo-
 iam pridem sentis, ita me audias precor, tanquàm si uet inuidiã
 uoce & comploratione nocturna exitus, mihi qui- πῶδος.
 ritanti interuenisses: Demetrium cum armatis nocte Propositio
 intempesta in uestibulo meo deprehendisses, quod tum Confirma-
 uociferarer in re præsentì pauidus, hoc nunc postero tio qua pro
 die queror. Frater non commessantium inuicem iam bat suæ ui-
 diu uiuimus inter nos, regnare utiq; uis: huic spei tuæ tæ insidiari
 obstat ætas mea, obstat gentium ius, obstat uetustas, Demetriũ.
 Macedonia mos, obstat uero etiam patris iudicium. A cã et spe
 Huc transcendere nisi per meum sanguinem non po- qua impul-
 tes, omnia moliris, & tentas adhuc seu cura mea, seu su suscep-
 fortuna rit facinus.

O R A T I O P E R S E I.

**Ab antea
actis.** fortuna restitit, parricidio tuo. Hesternae die in lustratione & decursu, & simulachro ludicro pugnae funestum propè praelium fecisti. nec me aliud à morte uindicauit quàm quòd me ac meos uinci passus sum, ab hostili praelio tanquam fraterno lusu pertrahere me ad coenam uoluisti, Credis ne pater inter inermes conuiuas me coenaturum fuisse, ad quem armati commessatum uenerunt? credis nihil à gladijs noctu periculi fuisse, quem sudibus te spectante propè occiderunt? Quid hoc noctis? quid inimicus ad iratum? quid cum ferro succinctis iuuenibus uenis? conuiuam me tibi committere ausus non sum, commessatorem te cum armatis uenientem recipiam? Si aperta ianua fuisset, funus meum parares hoc tempore pater, quo quærentem audis. Nihil ego tanquam accusator criminose, nec dubia argumentis colligendo ago, quid enim? negat se cum multitudine uenisse ad ianuam meam? an ferro succinctos secum fuisse? quos nominauero, accerse, possunt quidem omnia audere, qui hoc ausi sunt: non tamen audebunt negare, se deprehensos intra limen meum cum ferro, si ad te deducerem, pro manifesto haberes: fatentes pro deprehensis habe. Execrare nunc cupiditatem regni, & furias fraternas concita, sed ne sint caecae pater execrationes tuae, discerne, & dispice insidiatorem, & petitem insidijs: noxium huic esse caput, qui occisurus fratrem fit, habeat etiam iratos praetores deos: Qui periturus fraterno scelere fuit

Loci facultatis, circumstantiae & ad occupatio.

**Diluit crimen affe-
ctati regni
quod in De-
metrium
transfert.**

O R A T I O P E R S E I.

fuit, per fugium in patris misericordia & iustitia ha-
 beat, quò enim aliò confugiam? cui non solenne lu-
 strale exercitus, cui non decursus militum, non domus,
 non epulæ, non nox ad quietem datæ naturæ benefi-
 cio mortalibus, tuta est? si iero ad fratrem inuitatus,
 moriendum est, si recepero intra ianuam commessa-
 tum fratrem, moriendum est, Nec eundo, nec manen-
 do insidias euito. Quo me conferam? nihil præter de-
 os pater, & te colui, Non Romanos habeo, ad quos
 confugiam. Perisse expetunt, quia tuis iniurijs doleo,
 quia tibi ademptas tot urbes, tot gentes, modò Thra-
 ciæ maritimam oram indignor. nec me, nec te inco-
 lumi, Macedoniam suam futuram sperant. si me scelus
 fratris, te senectus absumpserit, aut nec ea quidem ex-
 pectata fuerit, regem regnumq; Macedonia sua fu-
 tura sciunt. Si quid extra Macedoniam tibi Romani
 reliquissent, mihi quoq; id relictum crederem recep-
 taculum. At in Macedonibus satis præsidij est, Vidisti
 hesterno die impetum in me militum. Quid illis defuit
 nisi ferrum? quòd illis defuit interdium, conuiuæ fra-
 tris noctu assumpserunt. Quid de magna parte princi-
 pum loquar qui in Romanis spem omnem dignitatis &
 fortunæ posuerunt, & in eo qui omnia apud Romanos
 potest, Neq; hercule istum mihi tantum fratri maiori,
 sed propè est, ut tibi quoq; ipsi regi & patri præse-
 rant, iste enim est, cuius beneficio poenâ tibi Senatus
 remisit, qui nunc te ab armis Romanis protegit, qui tua

ἀπορία.
 suntq; hæc
 mire Pa-
 thetica.

Inuidiosa
 hæc sunt
 & apta ad
 patris animo
 mouendū.

Ironia.

ORATIO PERSEI.

am senectutem obligatam & obnoxiam adolescenti^e
 suæ æquum esse censet. Pro isto Romani stant, pro
 isto omnes urbes tuo imperio liberatæ, pro isto Ma-
 cedones, qui pace Romana gaudent, mihi præter te
 pater quid usquàm, aut spei, aut præsidij est? Quo
 spectare illas literas ad te nunc missas. T. Quintij cre-
 dis? quibus & te bene consuluisse rebus tuis ait, quòd
 Demetrium Romam miseris, & hortatur, ut iterum
 & cum pluribus legatis & primoribus quoq; ipsorū
 Macedonum remittas eum. T. Quintius, nunc est au-
 ctor omnium rerum, isti et magister, eum sibi te abdi-
 cato patre in locum tuum substituit, illic ante omnia
 clandestina concocta sunt consilia, quæruntur adiu-
 tores consilij, cum te plures & principes Macedo-
 num cum isto mittere iubet, qui hinc integri & syn-
 ceri Romam eunt, Philippum regem se habere cre-
 dentes, imbuti illinc & infecti Romanis delinimentis
 redeunt. Demetrius ijs unus omnia est, eum iam re-
 gem uiuo patre appellant, Hæc, si indignor, audien-
 dum est statim non ab alijs solum, sed etiam à te pater
 cupiditatis regni crimen. Ego uero si in medio poni-
 tur non agnosco. Quem enim suo loco moueo ut ipse
 in eius locum succedam? unus ante me pater est, & ut
 diu sit deos rogo superstes, ei ita sim, si merebor, ut ip-
 se me esse uelit. Hæreditatem regni, si pater tradet,
 accipiam, cupit regnum & quidem scelerate cupit,
 qui transcendere festinat ordinem ætatis, naturæ,
 moris

Diluit affe-
 ctati regni
 suspitionē.

ORATIO DEMETRII.

moris Macedonum, iuris gentium. Obstat frater ma- Transfert
ior, ad quem iure, uoluntate etiam regnū patris per- crimen in
tinet, Tollatur, non primus regnum fraterna cede fratrem.
petiero, pater senex, filio solus orbatus, de se magis
timebit quàm ut filij necem ulciscatur. Romani læ- Peroratio.
tabuntur, probabunt, defendent factum. Hæ spes in-
certæ, pater sed non inanes sunt, ita enim res se ha-
bet: periculum uitæ propellere à me potes, puniendo
eos, qui ad me interficiendum ferrum sumpserunt: si
facinori eorum successerit, mortem meam idem tu
persequi non poteris.

Posteaquam dicendi finem Perseus fecit, coniecti
eorum qui aderant, oculi in Demetrium sunt uelut
confestim responsurus esset, deinde diu silentium fuit.
Cum perfusum fletu appareret omnibus loqui non
posse, tandem uicit dolorem ipsa necessitas, cum dice-
re iuberent, atq; ita orsus est.

ORATIO DEMETRII.

Omnia, quæ reorum antea fuerant auxilia pater, Exordium
præoccupauit accusator, simulatis lachrymis in al- quo ab ini-
terius perniciem, ueras meas lachrymas suspectas ti- qua dicēdi
bi fecit, cum ipse ex quo ab Roma redij, per oc- conditione
cultæ cum suis colloquia, dies noctesq; insidietur ul- beneuolen-
trò mihi, non insidiatoris modo, sed latronis ma- tiã captat.
nifesti & percussoris speciem induit. Periculo suo te Exponit
exterret, ut innoxio fratri per eundem te maturet consilium
perniciem, per fugium sibi nusquam gentium esse ait, ut accusato-
ris.

ORATIO DEMETRII.

Facit ini- ego ne apud te quidē quicquam spei reliquæ habeam,
tio suspe- circumuentum, solum inopem, inuidia gratiæ extera
ctam fra- ne, quæ obest potius quam prodest, onerat. iam illud
tris accu- quàm accusatoriè, quòd noctis huius crimen miscuit
sationem. cū cætera in sectatione uitæ meæ, ut & hoc, quod iam
 quale sit, scies, suspectum alio uitæ nostræ tenore fa-
 ceret, & illam uanam criminationem spei uoluntatis,
 consiliorum meorum, nocturno hoc uictō et composi-
 to argumento fulciret simul & illud quæsiuit, ut re-
 pentina & minime præparata accusatio uideretur:
 quippe ex noctis huius metu, & tumultu repentino

Dilemma exorta. Oportuit autem Perseu, si proditor ego pa-
 quo osten- tris regniq; eram, si cum Romanis, si cum alijs inimi-
 dit cōfictā cis, patris inieram consilia, non expectatam fabulam
 accusatio- noctis huius esse, sed proditionis meæ ante me accusa-
 nem, et cri tum: si illa separata ab hac ac uana accusatio erat, in-
 men insidi- uidiamq; tuam aduersus me magis, quàm crimen me-
 arū in fra- um indicatura, hodie quoq; eam aut prætermitti, aut
 trem retor in aliud tempus differri: ut perspiceretur, utrum ego
 quet. tibi, an tu mihi nouo quidem, & singulari genere odij

Locus docu- insidias fecisses. Ego tamen quantum in hac subita
litatis. perturbatione potero, separabo ea, quæ tu confudi-
 sti: & noctis huius insidias, aut tuas, aut meas dete-

Repetit gam. Occidendi sui consilium me inisse uideri uult:
propositi- ut scilicet maiore fratre sublato, cuius iure gentium
onē accu- more Macedonum, tuo etiam (ut ait) iudicio re-
sationis. gnum est futurum: ego minor in eius, quem occidisse

sem,

ORATIO DEMETRII.

sem, succederem locum. Quid ergo illa sibi uult pars Confutatio altera orationis, qua Romanos à me cultos ait, atq; qua ostendit eorum fiducia in spem regni me uenisse? Nam si & in dit non cō Romanis tantum momenti esse credebā, ut quem uel stare sibi lent imponerent Macedoniae regem: & me tantum fratris dea apud eos gratiae confidebā, quid opus parricidio fuit? cusationē. an ut cruentū fraterna caede diadema gererem? ut illis ipsis, apud quos, aut uera aut certe simulata probitate partam gratiam habeo (si quam forte habeo) execrabilis & inuisus essem? nisi T. Quintium credis, cuius uirtute & consilijs me nunc arguis regi, cum & ipse tali pietate uiuat cum fratre, mihi fraternae cedis fuisse auctorem. Idem non Romanorum solum gratiam, sed Macedonum iudicia, ac deorum penè hominumq; consensum collegit, per quae omnia se mihi parem in certamine non futurum crediderit: idem tanquam in alijs omnibus rebus inferior essem, ad sceleris spem ultimam confugisse me insimulat. Vis hanc formulā cognitionis esse, ut uter timuerit, ne alter dignior uideretur regno, is consiliū opprimendi fratris coepisse iudicetur? Exequamur tamen quocunq; modo conficti ordinem criminis. Pluribus modis se petitū criminatus est, & omneis insidiarū uias in unum diem contulit, uolui interdū eum post lustrationē, cum concurrimus, & quidem si dijs placet, lustrationum die occidere. uolui, cum ad coenam inuitaui, ueneno scilicet tollere. uolui, cum comessatum gladijs accincti

A repugnantibus.

Exagitat confictam Persei criminationē probatq; ex circumstantijs se non fecisse insidias.

ὀνειδος

168

ORATIO DEMETRII.

me secuti sunt, ferro interficere, tempora quidem,
 qualia sint ad parricidium electa uides: lusus, conui-
 uij, comessationis: quid dies, qualis? quo lustratus ex-
 ercitus, quo inter diuisam uictimam praelatis omni-
 um, qui unquam fuere Macedoniae regnum armis, reges
 duo, soli, tua tegentes latera pater prateruecti su-
 mus, & secutum est Macedonum agmen. Hoc, ego
 etiam si quid ante admissem piaculo dignum, lustra-
 tus & expiatus sacro tum, cum maxime in hostiam
 itineri nostro circumdatam intuens, parricidium,
 uenena, gladios in comessatione prae paratos uolu-
 tabam in animo? ut quibus alijs deinde sacris conta-
 minatam omni scelere gentem expiarem? sed caecus
 criminandi cupiditate animus, dum omnia suspecta
 efficere uult, aliud alio confundit. Nam si ueneno te
 inter coenam tollere uolui? quid minus aptum fuit,
 quam pertinaci certamine & concursu iratum te ef-
 ficere? ut merito, sicut fecisti, inuitatus ad coenam ab-
 nueres, cum autem iratus negasses, utrum ut placa-
 rem te danda opera fuit? ut aliam quaererem occasio-
 nem, quoniam semel uenenum paraueram? an ab illo
 consilio uelut transfiliendum ad aliud fuit, ut ferro te,
 & quidem eo die per speciem comessationis occide-
 rem? Quo deinde modo si te metu mortis credebam
 coenam euitasse meam, non ab eodem metu comessati-
 onem quoque euitaturum existimabam? Non est res qua
 erubescam pater, si die festo inter aequales largiore
 uino sum

A tempore
 importu-
 no.

A sacris.

ΕΠΙΦΟΝΗ-
 ΜΗ.

Confutat
 singulas
 partes cri-
 minationis
 per distri-
 butionem.

Ab ante-
 cedenti.

A securita-
 te animi.

ORATIO DEMETRII.

uino sum usus. Tu quoque uelim inquiras, qua letitia,
 quo lusu apud me celebratum hesternum conuiuium
 sit. illo etiam (prauo forsitan) gaudio prouehente,
 quod in iuuenili armorum certamine pars nostra
 non inferior fuerat, miseria hæc & metus crapulam
 facile excusserunt: quòd si non interuenissent insidia-
 tores, nos sopiti iaceremus. Si domum tuam expugna-
 turus, capta domo dominum interfecturus eram, De ædiuna
 non temperassem uino in unum diem? non milites ab- expugna-
 stinuissem tutos? Et ne ego me solus nimia simplicita- tione.
 te tuear, ipse quoque minime malus ac suspicax frater
 nihil aliud scio, inquit, nihil arguo, nisi quòd cum fer-
 ro comessatum uenerunt te fateri, aut si quæram unde
 id ipsum scias? necesse erit, speculatorum tuorum ple- Retorquet
 nam domum fuisse meam, aut illos ita aperte sump- crimen in
 sisse ferrum, ut omnes uiderent, Et nequid ipse aut aduersa-
 prius inquisisse, aut nunc criminose argumentari ui- rium,
 deretur, te quærerere ex ijs quos nominasset, iubebat:
 an ferrum habuissent? ut tanquam in re dubia, cum id Cõsutat q̄
 quæsisses, quod ipsi fatentur, pro uictis haberentur, de armatis
 Quin tu illud quæri iubes, num tui occidendi causa obiectũ fu-
 ferrum sumpserint: num me auctore & sciente? hoc it per abso-
 enim uideri uis, non illud quod fatentur, & palàm lutionem.
 est, & sui se tuendi causa sumpsisse dicunt recte an
 perperam fecerint, ipsi sui facti rationem reddent,
 meam causam, quæ nihil eo facto contingitur, ne mi-
 scueris, aut explica utrum aperte an clam te ag- Dilemma.
 gressuri

ORATIO DEMETRII.

Altera di-
lemmatis
pars.

Ab absur-
do.

Confutat
secundam
partem ac-
cusationis
de regno
effectato.

gressuri fuerimus? si aperte, cur non omnes ferrum
habuimus? cur nemo præter eos, qui tuum speculato-
rem pulsarunt? si clam, quis ordo consilij fuit? con-
uiuio soluto cum comessator ego discessissem, qua-
tuor substitissent, ut sopitum te aggredierentur? quo
modo sefellissent & alieni & mei & maxime suspe-
cti, quia paulo ante in rixa fuerant? quomodo autem
trucidato, te ipsi euasuri fuerint? quatuor gladijs do-
mus tua capi & expugnari potuit? Quin tu omissa
ista nocturna fabula, ad id, quod doles, quod inui-
diam urit, reuerteris? cur usquam regni tui mentio
fit Demetri? cur dignior patris fortunæ successor
quibusdam uideris quam ego? Cur spem meam, quæ
si tu non esses certa erat, dubiam & sollicitam facis?
Hæc sentit Perseus, etsi non dicit: hæc istum ini-
micum, hæc accusatorem faciunt: hæc domum, hæc
regnum tuum criminibus & suspitionibus replent.
Ego autem pater quemadmodum nec nunc sperare
regnum, nec ambigere unquam de eo forsitan debeam,
quia minor sum, quia tu me maiori cedere uis: sic illud
nec debui facere, nec debeo, ut indignus te patre, in-
patrem esse dignus omnibus uidear, id enim uilij meis, non ce-
dendo cuius fasque est, non modestia consequar. Ro-
mæ, que ei manus obijcis mihi: & ea que gloriæ esse debent, in-
iam uitio à crimen uertis. Ego nec obses Romanis ut traderer,
fratre uer- nec ut legatus mitterer Romam, petij: à te missus ire,
tantur. non recusavi, utroque tempore, ita me gessi ne tibi pu-
dori

ORATIO DEMETRII.

dori, nec regno tuo, ne genti Macedonum essem. Itaque
 mihi cum Romanis amicitiae causa tu fuisti pater.
 quo ad tecum illis pax manebit, mecum quoque gratia
 erit, si bellum esse coeperit, qui obses, qui legatus pro
 patre non inutilis fui, idem hostis illis acerrimus e-
 ro. Nec hodie ut prosit mihi Romanorum gratia po-
 stulo: ne obsit, tantum deprecor, nec in bello coepi nec
 impie in te pater si quid ad bellum reseruetur pacis
 pignus fui, ad pacem retinendam legatus missus sum,
 neutra res mihi nec gloria, nec crimini sit. Ego si
 quid scelerate in fratrem admisi, nullam deprecor
 poenam, si innocens sum, ne invidia conflagrem, cum
 crimine non possim, deprecor. Non hodie me pri-
 mum frater accusat: sed hodie primum aperte, nullo
 meo in se merito. Si mihi pater succenseret, te ma-
 iorem fratrem pro minore deprecari oportebat,
 te adolescentiae, te errori ueniam impetrare. In eo
 ubi praesidium esse oportebat, ibi exitium est. E con-
 uiuiis & comessationibus prope semi somnus raptus
 sum ad causam parricidij dicendam, sine aduocatis, sine
 patronis, ipse pro me dicere cogor, si pro alio dicen-
 dum esset, tempus ad meditandum & componendam
 orationem sumpsissem, cum quid aliud quam ingenij
 fama periclitarer: signarius quid accersitus essem, te
 iratum, et iubentem dicere causam, fratrem accusan-
 tem audiui, ille diu ante praeparata, meditata in me o-
 ratione est usus: ego id tantum temporis, quo accusatus
 sum

Deprecatur patris iram.

Peroratio.

Auget rei indignitate a sua aetate, fratris persona & temporis circumstantia.

ORATIO DEMETRII.

sum ad cognoscendum, quid ageretur habui, Vtrum momento illo horæ accusatorem audirem? an defensionem meditarer attonitus repentino atq; inopinato malo, uix quid obijceretur, intelligere potui: nedum satis sciam, quo modo me tuear. Quid mihi spei esset nisi patrem iudicem haberem? apud quem etiam si à fratre maiore charitate uincor, misericordia certe reus uinci non debeo. Ego enim ut me mihi tibiq; serues, precor, ille ut me in securitatem suam occidas, postulat, quid eum, cum regnum ei tradideris, facturum credis in me esse, qui iam nunc sanguine meo sibi indulgeri, equum censet? Dicenti hæc lachrymæ simul spiritum & uocem intercluserunt.

DE STATV IURIDICIALI.

Vnde oritur status Iuridicialis?

Sicuti ex questione an sit, nascitur status coniecturalis, ut fecerit ne insidias Alexandro magno Philotas, Ita ex questione, quale sit factum oritur status iuridicialis, ut iustene Philotas capitali supplicio ab Alexandro sit affectus, iure ne sit interfectus Caius Cæsar.

Quid est status Iuridicialis?

Est qui de iure siue iniuria disputat, unde & nomen habet, atq; ideo etiam Græci διναιολόγινον uocarunt, Dicitur etiam negotialis, quod causa, siue ipsum negocium iuris Ciuilis, habet implicatam controversiam

Q V A E S T I O. R H E T O.

trouersiam, facit tamen aliquod discrimen inter statum negotialem & iuridicalem Cic. lib. 2. de Inuent.

Quotuplex est status Iuridicialis?

Duplex, Absolutus, et Assumptiuus, sed hoc principio monendum est, tales causas easdem habere orationis partes, quas supra in statu coniecturali recensui, Exordium, Narrationem, Propositionem, Confirmationem, Confutationem, & Perorationem: ac ceteræ partes non requirunt noua præcepta. Tantum confirmatio ac confutatio habent nouos locos. Sunt enim diuersi loci diuersorum statuum.

Quid est status Absolutus?

Est cum simpliciter aliquid defenditur, ut in oratione Milonis, Cicero simpliciter defendit factum Milonis, Clodium iure occisum.

Qui sunt loci Absoluti status?

Natura, Lex, Consuetudo, Aequum, Bonum, Iudicatum, Pactum, Atq; horum locorum cognitio sumenda est à Iuris consultis.

Quid est ius naturæ?

Est summa ratio insita in natura, quæ iubet ea, quæ facienda sunt, prohibetq; contraria, Qualia sunt erga Deum religio, ut parentibus & patriæ pareamus, Neminem ledere, uim propulsare, contrahere matrimonia, iuuare coniugem, liberos, propinquos, amicos, hospites &c. Reddere gratiam bene de nobis meritis, seruare fidem, pacta, & conuentio-

D nes, &

Q V A E S T I O. R H E T O.
nes, & alia pleraq;

Quid est Lex?

Est id, quod populi iussu sancitum est, uel ut iure
consultus Papinianus definit, Est commune prae-
ceptum uirorum prudentium consulto: delictorum,
quae sponte uel ignorantia, contrahuntur, cohera-
tio, communis Reipub. sponsio. Demosthenes uero sic
definit. καὶ τοῦτο ἔστι νόμος, ὃ πάντας προσή-
κει πείθεσθαι διὰ πολλὰ, καὶ μάλιστα ὅτι πᾶς
ἔστι νόμος, εὐρημα μὲν καὶ δῶρον θεῶν, δόγμα
δὲ ἀνθρώπων φρονίμων, ἐπανόρθωμα δὲ τῶν
ἐκείνων καὶ ἀσπίς ἀμαρτημάτων. πόλεως
δὲ σωθῆναι κοινὴ καθ' ἡμᾶς πᾶσι προσήκει ἕκαστος
ἐν πόλει.

Quid est Consuetudo?

Consuetudinis ius esse putatur, id quod uoluntate
omnium sine lege uetustas comprobarit.

Quid est æquum & bonum?

Est hoc ius (ut Cicero ait) quod ad ueritatem &
communem utilitatem uidetur pertinere.

Quid est Iudicatum?

Est id de quo sententia lata est, aut decretum in-
terpositum.

Quid est Pactum?

Pactum (ut Ulpianus refert) à pactione dicitur,
Inde etiam pacis nomen appellatum est. Et est pactio
duorum pluriumue in idem, placitum & consensus.
Velut Cicero definit, Est quod inter aliquos conue-
nit,

Q V A E S T I O. R H E T O.

nit, quod iam ita iustum putatur, ut iuri prestare dicatur. His igitur partibus iniuriam demonstrari, ius confirmari conuenit, idq; in absoluto statu iuridicali. Ad hos locos, quæstione oblata & statu negotij comprehenso, animus referri debet, ut in hoc exemplo. Manlius consul iustè capitale supplicium sumpsit de filio, quòd contra consulis & patris edictum extra ordinem in hostem pugnavit. Primum argumentum sumitur à natura, quia ius nature præcipit, ut parètib. & magistratib. pareamus, Hic locus poterit amplificari si dicatur de potestate patria, & magistratuum, & quantũ referat illorum maiestatem non uiolari, item duplici modo meruisse pœnam, tũ quòd aduersus consulis, tum parentis edictum pugnarit. Secundum argumentum ex lege siue consulũ edicto sumetur, Legibus tanquàm communi totius ciuitatis uinculo omnes ciues ex æquo, nullo siue cognationis, siue affinitatis respectu habito, teneri, Itaq; fortiter, & recte fecisse Manlium, qui paterno & priuato affectui, legis auctoritatem prætulit, & ne edictum consulare, ac disciplina militaris solueretur, capitali supplicio in filium animaduertit. Hæc fient illustriora ubi accesserit amplificatio à temporis circumstantia sumpta. Quantum tum temporis bello Latini noretulerit seruare hoc edictum, ubi aduersus Latinũ hostem bellandum erat, lingua, moribus, armorũ genere, institutis, ante omnia, militaribus congruentes

GEORG. MAIOR.

Milites militibus. Centurionibus centuriones. Tribuni tribunis, compares, collegæq; iisdem præsijs sæpe, iisdem manipulis permixti fuerant.

A Consuetudine, Patribus enim ex ueteri more tum temporis, ius uitæ in liberos, necisq; potestas erat permissa, sic à Virginio patre impunè filiam interfecit, quæ à Decem uiro ad stuprum rapiebatur, eodem more impunè licuisse exponere infantes, si quis educare nollet.

Ex iudicato, hoc modo Brutum de liberis ob proditionem capitale sumpsisse supplicium, & non multis post annis, Bruti exemplum, imitatum patrem, Spuriij Cassi, qui filium autorem perniciosæ legis agrariæ, cognita domi causa, uerberibus caesum necauit, ac peculium eius Cereri consecravit, Vide præterea hic in libris Rhetoricæ Philip. pulcherrimum exemplum, de Equitib. inuadentes in uacuas possessiones monachorum, atq; hi sunt loci status absoluti.

Quid est Assumptiuus?

Est cum ipsum ex se factum probari non potest, aliquo autem foris adiuncto argumento defenditur.

Quot habet locos?

Tres, Purgationem, Translationem criminis, & Deprecationem.

Purgatio est cum negamus consulto à nobis factum, sed uel per imprudentiam, casum aut necessitatem.

Translatio criminis est, cum culpam conferimus in alios

M. T. CICERO. ORATIO

in alios, quale hoc est, persuasit nox, amor, uinum, adolescentia.

Deprecatio est, in qua non defensio facti, sed ignoscendi postulatio continetur, Hæc petit misericordiam, & in locis affectuum uersatur. Commouent misericordiam rei, etas, dignitas, uita modestè acta, Sumuntur argumenta, & à iudicis clementia, exemplum habes orationem Ciceronis pro Ligario, atq; hic status assumptiuus, serè est defensoris tantum.

Peroratio constat ijsdem locis, quibus in superiori statu, Repetitione nempe argumentorum & affectibus.

M. T. CICERONIS PRO A.
Licinio Archia Poëta oratio.

SI quid est in me ingenij iudices, quod sentio **Propositio**
quàm sit exiguum, aut si qua exercitatio di- **Exordij.**
cendi, in qua me non inficior mediocriter esse uersatum, aut si huiusce rei ratio aliqua ab optimarum artium studijs & disciplina profecta, à qua ego nullum confiteor ætatis meæ tempus abhorruisse: earum rerum omnium uel in primis hic A. Licinius fructum à me repetere propè suo iure debet. Nam quoad longissimè potest mens mea respicere, spacium præteriti temporis, & pueritiæ memoriam recordari ultimam: inde usq; repetens, hunc uideo mihi principem, & ad suscipiendam & ad ingrediendam rationem horum studiorum extitisse. **Ratio.**
Quod Conclusio.

D 3 si hæc,

PRO ARCHIA POETA.

Occupatio

Solutio oc-

cupationis

Occupatio

Si hæc uox huius hortatu præceptisq; confirmata, nõ
nullis aliquãdo saluti fuit, à quo id accepimus quo cæ-
teris opitulari, et alios seruare possemus, huic profes-
sori ipsi, quantum est situm in nobis, et opem et salu-
tem ferre debemus. Ac ne quis à nobis hoc ita dici for-
te miretur, quòd alia quædã in hoc facultas sit ingenij:
neq; hæc dicendiratio, aut disciplina, nec nos quidem
huic cuncti studio penitus unquam dediti fuimus. Et
enim omnes artes, quæ ad humanitatem pertinent,
habent quoddam commune uinculum et quasi cognat-
tione quadam inter se continentur. Sed ne cui uestrũ
mirum esse uideatur, me in quæstione legitima, et in
iudicio publico, cum res agatur apud Prætorem po-
puli Romani lectissimum uirum, et apud seuerissi-
mos iudices, tanto conuentu hominum ac frequentia,
hoc uti genere dicendi, quod nõ modò à consuetudine
iudiciorum, uerumetiam à sordens sermone abhorre-
at, quæso à uobis, ut in hac causa mihi detis hanc ue-
niam accommodatam huic reo, uobis, quemadmodum
spero, non molestam, ut me pro summo poëta, ac eru-
ditissimo homine dicentem, hoc concursu hominum
literatissimorum, hac uestra humanitate, hoc deniq;
Prætore exercente iudicium, patiamini de studijs hu-
manitatis ac literarum paulò loqui liberius: et in
eiusmodi persona, quæ propter ocium ac studium, mi-
nimè in iudicijs periculisq; tractata est, uti propè no-
uo quodam et inusitato genere dicendi. Quod si mihi à
uobis

M. T. CICERO ORATIO

uobis tribui concediq; sentiam, perficiam profecto, ut **Propositio**
 hunc Aulum Licinium, non modo non segregandum, cause.
 cum sit ciuis, à numero ciuium, uerum etiam si non es-
 set, putetis assciscendū fuisse. Nam ut primum ex pue: **Narratio.**
 ris excessit Archias, atq; ab his artibus, quibus etas
 puerilis ad humanitatem informari solet, se ad scri-
 bendi studium contulit, primū n Antiochiæ (nam ibi
 natus est loco nobili, celebri quondam urbe & copio-
 sa, atq; eruditissimis hominibus liberalissimisq; studijs
 affluenti) celeriter antecellere omnibus ingenij glo-
 ria contigit. Post in cæteris Asiæ partibus, cunctæq; **Gradatio.**
 Græciæ, sic eius aduentus celebrabatur, ut famam in-
 genij expectatio hominis, expectationem ipsius ad-
 uentus admiratioq; superaret. Erat tum Italia plena
 Græcarū artium ac disciplinarū, studiaq; hæc et in La-
 tio uehementius tum colebātur, quàm nunc iisdem in
 oppidis, & hic Romæ propter tranquillitatē Po. Ro.
 nō negligebantur. Itaq; hunc & Tarentini et Rhegi-
 ni et Neapolitani ciuitate cæterisq; præmijs donarūt,
 & omnes qui aliquid de ingenijs poterant iudicare,
 cognitione atq; hospitio dignū existimarunt. Hac tan-
 ta celebritate famæ, cū esset iam absentibus notus, Ro-
 mæ uenit Mario consule & Catulo. Nactus est primū
 Consules eiusmodi, quorum alter res ad scribendū ma-
 ximas, alter cum res gestas, tum etiam studiū atq; ali-
 res adhibere posset. Statim Luculli, cum prætextatus
 etiā tum Archias esset, eum in domū suam receperūt,

PRO ARCHIA POETA.

- πρόλογος.** Sed enim hoc non solum ingenij ac literarum, uerum etiam naturæ atq; uirtutis fuit, ut domus, quæ huius adolescentia prima fuit, eadem esset familiarissima senectuti, Erat temporibus illis iucundus Metello illi Numidico, & eius Pio filio, audiebatur à M. Aemyllo, uiuebat cum Quin. Catulo, & patre & filio, à Lucio Crasso colebatur. Lucullus uero & Drusos & Octauios & Catonem & totam Hortensiorum domum deuinctam consuetudine cum teneret, afficiebatur summo honore, quod eum non solum colebant, qui aliquid percipere aut audire studebant, uerum etiam si qui forte simulabant. Interim satis longo interuallo, cum esset cum L. Lucullo in Siciliam profectus, & cum ex ea prouincia cum eodem Lucullo decederet, uenit Heracleam, quæ cum esset ciuitas æquissimo iure ac foedere, adscribise in eam ciuitatem uoluit, idq; cum ipse per se dignus putaretur, tum autoritate & gratia Luculli ab Heracliensibus impetrauit. Data est ciuitas Syllani lege & Carbonis, si qui foederatis ciuitatibus adscripti fuissent, si tum cum lex ferebatur in Italia domicilium habuissent: et si sexaginta diebus apud Prætorem essent professi. Cum hic domicilium Romæ multos iam antea annos haberet, professus est apud Prætorem Q. Metellum familiarissimum suum. Si nihil aliud nisi de ciuitate ac lege dicimus, fatio cōfirmationis. nihil dicam amplius, causa dicta est. Quid. n. horum infirmari Grache potest? Heracleæ ne esse eum adscriptum
- Minor.**
- Conclusio.**
- Maior.**
- Pars Minoris.**
- Epilogus narratio nis, propositio cōfirmationis.**

M. T. CICERO ORATIO

scriptum negabis? Adest uir summa auctoritate & Confirmata
 religione & fide M. Lucullus, qui se non opinari, sed tio à testia
 scire, non audiuisse, sed uidisse, non interfuisse, sed bus.
 egisse dicit. Adsunt Heraclienses legati, nobilissimi
 homines huius iudicij causa, cum mandatis & cum
 publico testimonio uenerunt, qui hunc adscriptū He-
 racliensem dicunt. Hic tu tabulas desyderas Heracli-
 ensium publicas, quas Italico bello, incenso tabulario
 interiisse scimus omnes. Est ridiculum ad ea quæ ha-
 bemus nihil dicere, quæerere quæ habere non possu-
 mus, & de hominum memoria tacere, literarum me-
 moriam flagitare. Et cum habeas amplissimi uiri re-
 ligionem, integerrimi municipij iusiurandū, fidemq;,
 ea, quæ deprauari nullo modo possunt repudiare, ta-
 bulas, quas idem dicis solere corrumpi, desiderare, At
 domicilium Romæ non habuit is, qui tot annis ante
 ciuitatem datam, sedem omnium rerum ac fortuna-
 rum suarum Romæ collocauit? At non est professus.
 Imò uero his tabulis, quæ solæ ex illa professione col-
 legioq; prætorum obtinent publicarum tabularum
 auctoritatem. Nam cum Appij tabulæ negligentius
 adseruatæ dicerentur, Gabiniq; quàm diu incolumis
 fuit, leuitas, post damnationem, calamitas, omnem ta-
 bularum fidem resignasset, Metellus homo sanctis-
 simus modestissimusq; omnium, tanta diligentia fu-
 it, ut ad L. Lentulum prætorem, & ad iudices uene-
 rit, & unius nominis litura se commotum esse dixe-
 rit. His

Collatio fi-
 dei & Ta-
 bularum.

PRO ARCHIA POETA.

Conclusio. rit. His igitur tabulis nullam lituram in nomen A. Licinij uidetis. Quæ cum ita sint, quid est quod de eius ciuitate dubitetis, præsertim cum alijs quoq; in ciuitatibus fuerit adscriptus? Etenim cum mediocribus

Amplificatio à uerisimili ex minore. multis, & aut nulla, aut humili aliqua arte præditis gratuito ciuitatem in Græcia homines impertiebatur. Rheginos credo aut Locrenses, aut Neapolitanos, aut Tarentinos, quod scenicis artificibus largiri solebāt, id huic summa ingenij prædito gloria noluisse? Quid? cum cæteri non modo post ciuitatem datam, sed etiam post legem Papiam, aliquo modo in eorum municipiorum tabulas irrepserunt? Hic qui nec utitur quidem illis in quibus est scriptus, quod semper se Heracliensem ciuem esse uoluit, reijcietur? Census nostros requiris scilicet. Est enim obscurum proximis Censoribus, hunc cum clarissimo imperatore L. Lucullo, apud exercitum fuisse, superioribus cum eodem Quæstore fuisse in Asia, primis iulio & Crasso, nullam populi partem esse censam. Sed quoniam Census non ius ciuitatis confirmat, ac tantummodo indicat eum quisit census, ita se iam tum gessisse pro ciue his temporibus, quæ tu criminariis, nec ipsius quidem iudicio in ciuium Romanorum iure esse uersatum. Et testamentum sæpe fecit nostris legibus, & adiit hereditates ciuium Romanorum, & in beneficijs ad ærarium delatus est à L. Lucullo Prætoris & consule. Quere argumenta si qua potes. Nunquam enim hic

Quæ iussit urbe excedere oēs q non erant ciues Romani.

Pars constitutionis.

neq;

M. T. CICERO ORATIO.

neq; suo neq; amicorum iudicio reuincetur. Queres à nobis Grache, cur tantopere hoc homine delectemur? quia suppeditat nobis ubi & animus ex hoc forsens strepitu reficiatur, & aures conuitio: defessæ conquiescant. An tu existimas aut suppetere nobis posse quod quotidie dicamus, in tanta uarietate rerû, nisi animos nostros doctrina excolamus? aut ferre animos tantam posse contentione, nisi eos doctrina eadem relaxemus? Ego uero fateor me his studijs esse deditum: cæteros pudeat, si qui se ita literis abdiderunt ut nihil possint ex his, neq; ad communem afferre fructum, neq; in aspectum lucemq; proferre. Me autem quid pudeat, qui tot annos ita uiuo, iudices, ut ab illis nullo unquam me tempore aut commodum aut ocium meum abstraxerit, aut uoluptas auocarit, aut deniq; somnus retardarit. Quare quis tandem me reprehendat, aut quis mihi iure succenseat, si quantum cæteris ad suas res obeundas, quantum ad festos dies ludorum celebrandos, quantum ad alias uoluptates, & ad ipsam requiem animi & corporis, conceditur temporum, quantum alij tribuunt tempestiuis conuiujs, quantum deniq; alex, quantum pile, tantum mihi egomet ad hæc studia recolenda sumpsero. Atq; hoc ideo mihi concedendum est magis: quod ex his studijs hæc quoq; crescit oratio & facultas, quæ quantacûq; in me est, nunquam amicorû periculis defuit. Quæ si cui lenior uidetur illa quæ certe quæ summa sunt ex quo fonte hauriã sentio, li.

Propositio

Comprobatio.

Occupatio

Correctio.

Congeries.

A simili.

A causis finalibus.

Ab altera causa finalis.

PRO ARCHIA POETA.

tio. Nam nisi multorum præceptis, multisq; literis mihi ab adolescentia suasissem, nihil esse in uita magnopere expetendū, nisi laudem atq; honestatē, in ea autem persequenda, omnes cruciatus corporis, omnia pericula mortis atq; exilij parui esse ducenda, nunquàm me pro salute uestra in tot ac tantas dimissiones, atq; in hos profligatorum hominum quotidianos impetus obiecisssem. Sed pleni omnes sunt libri, plenæ sapientum uoces, plena exemplorum uetustas, quæ iacerent in tenebris omnia, nisi literarum lumen accenderet. Quàm multas nobis imagines non solum ad intuendum, uerumetiam ad imitandum fortissimorum uirorum expressas, scriptores, & Græci & Latini reliquerunt? Quas ego mihi semper in administranda Repub. proponens, animum & mentem meã ipsa cogitatione hominum excellentiũ confirmabam. Quæret quispiam, quid? illi ipsi summi uiri, quorum uirtutes literis proditæ sunt, ista ne doctrina, quam tu laudibus effers, eruditi fuerunt? Difficile est hoc de omnib. confirmare, sed tamen est certũ quid respondeam. Ego multos homines excellenti animo & uirtute fuisse, & sine doctrina nature ipsius propè habitu diuino, per se ipsos & moderatos & graues extitisse fateor. Etiam illud adiungo sæpius ad laudem atq; uirtutem, naturam sine doctrina, quam sine natura ualuisse doctrinam. Atq; idem ego contendo, cum ad naturam eximiam atq; illustrem

Obiectio
seu occupatio.

Concessio.
Ratio quia magna est sæpe nature uis.

Correctio.

M. T. C I C E R O O R A T I O.

strem accesserit ratio quædam confirmatioq; doctrinæ, tum illud nescio quid præclarū ac singulare sole-
re existere. Ex hoc esse hunc numero, quem patres no-
stri uiderunt, diuinum hominē Africanum. Ex hoc
C. lælium, L. furium, modestissimos homines & con-
tinentissimos. Ex hoc fortissimum uirum, & illis tem-
poribus doctissimum, Catonem illum senem, qui pro-
fecto, si nihil ad percipiendam colendamq; uirtutē li-
teris adiuuarentur, nunq̄ se ad earum studium contu-
lissent. Quod si non hic tantus fructus ostenderetur,
etsi ex his studijs delectatio sola peteretur, tamen ut
opinor, hanc animaduersionem humanissimam atq;
liberalissimam iudicaretis. Nam ceteræ res, neque
temporum sunt, neque ætatum omnium, neque loco-
rum. Hæc studia adolescentiam agunt, senectutem ob-
lectant, secundas res ornant, aduersis perfugium ac
solatium præbent. Delectant domi, non impediunt
foris, pernoctant nobiscum, peregrinantur, rusticantur.
Quod si ipsi hæc neq; attingere, neq; sensu no-
stro gustare possimus, tamen ea mirari deberemus
etiam cum in alijs uideremus. Quis nostrum tam a-
nimo agresti ac duro fuit, ut Roscij morte nuper non
commoueretur? Qui cum esset senex, mortuus tamen
propter excellentem artem, ac uenustatem, uideba-
tur omnino mori non debuisse. Ergo ille corporis mo-
tu tantum amorem sibi conciliarat à nobis omnibus,
nos animorū incredibiles motus, celeritatemq; inge-
niorum

Exempla.

Conclusio.

Repetitio
cause fi-
nalis.

Collatio.

Transitio.

Similitudo.

Cōsequens.

PRO ARCHIA POETA.

Compro-
batio.

Antece-
dens.

Conse-
quens.
Amplifi-
catio à
Maiore.
Ab exem-
plo.

niorum negligemus? Quoties ego hunc Archiam uidi iudices (utar enim uestra benignitate, quoniam me in hoc nouo genere dicendi tam diligenter attenditis) quoties ego hunc uidi, cum literam scripsisset nullam magnum numerum optimorū uersuum, de ijs ipsis rebus quæ tum agebantur, dicere ex tempore? Quoties reuocatum eandem rem dicere cōmutatis uerbis atq; sententijs? Quæ uero accuratè cogitateq; scripsisset, ea sic uidi probari, ut ad ueterum scriptorum laudem peruenirent. Hunc ego non diligam? non admirer? non omni ratione defendendum putem? Atqui sic à summis hominibus eruditissimisq; accepimus, cæterarum rerum studia, & doctrina, & præceptis & arte constare, poëtam natura ipsa ualere, & mentis uiribus excitari, & quasi diuino quodam spiritu afflari. Quare suo iure noster ille Ennius sanctos appellat poëtas, quòd quasi Deorum aliquo dono atq; munere commendati nobis esse uideantur. Sit igitur, iudices, sanctum apud uos humanissimos homines, hoc poëtae nomē, quod nulla unquàm Barbaria uiolauit. Saxa et solitudines uoce respondent, bestiae sæpe immanes cantu flectuntur atq; consistunt, nos instituti reb. optimis non poëtarum uoce moueamur? Homerum Colophonij ciuem esse dicunt suum, Chij suum uendicāt, Salaminij repetunt, Smyrnaei uero suum esse confirmant. Itaq; etiam delubrū eius in urbe dedicarunt. Per multi alij præterea pugnant inter se atq; contendunt. Ergo
illi

M. T. C I C E R O. O R A T I O

illi alienum, quia poëta fuit, etiam post mortem expe-
 tunt, nos hunc uiuum, qui uoluntate & legib. noster
 est, repudiamus? præsertim cum omne olim studium
 atq; omne ingenium contulerit Archias ad Pop. Ro-
 mani gloriam laudemq; celebrandã. Nam et Cymbri- Ex meritis
 cas res adolescens attigit. Etiam ipsi illi C. Mario, qui Archia.
 durior ad hæc studia uidebatur, iucundus fuit. Neq; n. ἀτιολο-
 quisquam est tam aduersus à musis, qui non mandari γία
 uersibus æternum suorum laborũ præconium facile
 patiatur. Themistoclem illum summum Athenis uirũ
 dixisse aiunt, cum ex eo quæreretur, quod ἀνρόα-
 μεα, aut cuius uocem lubentissime audiret? eius à quo
 sua uirtus optime prædicaretur. Itaq; ille Marius
 item eximie. L. Plotium dilexit, cuius ingenio putabat
 ea quæ gesserat posse celebrari. Mithridaticum uero Redit ad
 bellum magnum atq; difficile, & ne multa uarieta- merita
 te, terra mariq; uersatum, totum ab hoc expres- Archie.
 sum est. Qui libri non modo L. Lucillum fortissi-
 mum & clarissimum uirum, uerum etiam Populi
 Romani nomen illustrant. Populus enim Romanus
 aperuit Lucullo imperante, Pontum, et Regijs quon-
 dam opibus, & ipsa natura regionis uallatum. Popu-
 li Romani exercitus eodem dace, non maxima manu
 innumerabiles Armeniorum copias fudit, Populi Ro-
 mani laus est, urbem amicissimam Cizicenorum ei-
 usdem consilio, ex omni impetu regio, ac totius
 belli ore ac faucibus ereptam esse atque seruatum.

Nostre

PRO ARCHIA POETA.

Conclusio. Nostra semper feretur ac prædicabitur L. Lucullo
Secundum dimicante, cum interfectis ducibus depressa hostium
exemplū: classis, & incredibilis apud Tenedum pugna illa na-
Ouid. ualis. Nostra sunt trophæa, nostra monumenta, no-
Ennius e- stri triumpho. Quare quorum ingenijs hæc feruntur,
merunt Ca ab his Populi Romani fama celebratur. Charus fuit
labris in Africano superiori noster Ennius, itaq; etiam in
montib. or: sepulchro Scipionum putatur is esse constitutus. Et
tus, Conti- marmoratis laudibus, certe non solū ipsi qui laudan-
guus poni tur, sed etiam populi Romani nomen ornatur. In cœ-
Scipio ma: lum huius proauus Cato tollitur. Magnus honor po-
gne tibi. pulo Romano adiungitur, omnes deniq; illi Maximi
 Marcelli, Fuluij non sine cōmuni omnium nostrū lau-
 de decorantur. Ergo illum qui hæc fecerat rudem
 tum hominem, maiores nostri in ciuitatem recepe-
 runt, nos hunc Heracliensem, multis ciuitatibus ex-
 petitum, in hac autem legibus constitutum, de nostra
 ciuitate eijciemus? Nam si quis minorem gloriæ fru-
Amplifica ctum putat ex Græcis uersibus percipi, quàm ex La-
tio à Græ- tinis uehementer errat, propterea quod Græca le-
ca lingua. guntur in omnibus ferè gentibus, Latina suis finibus
 exiguis sanè continentur. Quare si res hæc quas ges-
 simus orbis terræ regionibus definiuntur, cupere de-
 bemus, quo minus manuum nostrarum tela peruene-
Amplifica runt, eodem gloriam famamq; penetrare. Quod cum
tio ab uti- ipsis populis, de quorum rebus scribitur, hæc ampla
litate. sunt, tum ijs certe, qui de uita gloriæ causa dimi-
 cant,

M. T. CICERO. ORATIO.

cant, hoc maximum & periculorum incitamentum
 est & laborum. Quam multos scriptores rerum sua-
 rum magnus ille Alexander secum habuisse dicitur?
 Atq; is tamen cum in Sigæo ad Achillis tumulum ad-
 stitisset ò fortunate inquit adolescens, qui tuæ uirtu-
 tis præconem Homerum inueneris, Et uere. Nam nisi
 illi ars extitisset illa, idem tumulus qui corpus eius
 contexerat, nomen etiam obruisset. Quid noster hic
 Magnus, qui cum uirtute fortunam adæquauit? non-
 ne Theophanem Mitylenæum scriptorem rerū sua-
 rum in contione militum ciuitate donauit? Et nostri
 illi fortes uiri & rustici ac milites, dulcedine quadam
 gloriæ commoti, quasi participes eiusdem laudis ma-
 gno illud clamore approbauerunt. Itaq; credo, si ci- Ex minore
 uis Romanus Archias legibus non esset, ut ab aliquo facit ueri-
 Imperatore ciuitate donaretur, perficere non potu- similem
 it? Sylla uero cum Hispanos, & Gallos donaret, credo Archiæ
 hunc petentem repudiasset, quem nos in contione ui- causam.
 dimus, cui cum libellum malus poëta de populo sub-
 iecisset, quod Epigramma in eum fecisset, tantum-
 modo alternis uersibus longiusculis, statim ex his re-
 bus quas tunc uendebat, iussit ei præmium tribui sub
 ea conditione, ne quid postea scriberet.

Qui sedulitatem mali poëta duxerit aliquo tamen
 premio dignam, huius ingenium & uirtutem in scri-
 bendo & copiam non expetisset? Quid à Q. Metela
 lo pio familiarissimo suo, qui ciuitate multos donauit,

Et neq;

PRO ARCHIA POETA.

Ratio. neq; per se neq; per Lucullos impetrauisset? qui praesertim usq; eò de suis rebus scribi cuperet, ut etiam Cordubæ natis poëtis pingue qui idem sonantibus atq; peregrinum, tamen aures suas dederet. Neq; enim est hoc dissimulandum, quòd obscurari non potest, sed pra nobis ferendum, trahimur omnes studio laudis, et optimus quisq; maxime gloria ducitur. Ipsi philosophi etiam in illis libellis, quos de contemnenda gloria scribunt, nomen suum inscribunt, et in eo ipso, in quo praedicationem nobilitatemq; despiciunt, praedicari de se ac nominari uolunt. Decius quidem Brutus, summus ille uir et imperator, Accij amicissimi sui carminibus templorum ac monumentorum aditus exornauit suorum. Iam uero ille, qui cum Aetolis Ennio comite bellauit Fuluius, non dubitauit

Exempla. Martis in anubias Musis consecrare. Quare in qua urbe Imperatores propè armati, poëtarum nomen, et Musarum delubra coluerunt, in ea non debent togati iudices à Musarum honore, et à poëtarum salute abhorrere. Atq; ut ad libentius faciatis, iam me uobis iudices indicabo, et de meo quodam amore gloriae, nimis acri fortasse. ueruntamen honesto, uobis confitebor. Nam quas res nos in Consulatu nostro uobiscum simul pro salute huiusce imperij, et pro uita omnium ciuium, proq; uniuersa Republica gessimus, attigit hic uersibus atq; inchoauit, quibus auditis, quod mihi magna res et iucunda uisa est, hunc ad perficiendum hortatus

Conclusio.

Probat à suo exemplo.

M. T. CICERO. ORATIO.

hortatus sum. Nullam enim uirtus aliam mercedem laborum periculorumq; desiderat, præter hanc loci communitatis laudis et gloriæ, qua quidem detracta indices, munis, ut quid est, quod in hoc tam exiguo uitæ curriculo, qua eadem et tam breui, tantis nos in laboribus exerceamus? sententia. Certè si nihil animus præsentiret in posterum, et si aliquoties quibus regionibus uitæ spaciū circumscriptum est, mutatis iisdem omnes cogitatus terminaret suos, nec tantis se uerbis esse laboribus frangeret, neq; tot curis uigilijsq; angere-
tur, neq; totiens de ipsa dimicaret. Nunc insidet quædam in optimo quoq; uirtus, que noctes ac dies animum gloriæ stimulis concitat atq; admonet, non cum uitæ tempore esse dimittendam commemoratione nominis nostri, sed cum omni posteritate adæquandam. An uero tam parui animi uideamur esse omnes, qui in Repub. atq; in his uitæ periculis laboribusq; uersamur, ut cum usq; ad extremum spaciū nullum tranquillum atq; ociosum spiritum duxerimus, nobiscum simul moritura omnia arbitremur? an cum statuas et imagines, non animorum, simulachra sed corporum, studiose multi summa homines reliquerunt, consiliorum relinquere ac uirtutum nostrarum effigiem, nonne multo malle debemus summis ingenijs expressam et politam? Ego uero omnia que gerebam, iam tum in gerendo spargere me ac disseminare arbitrabar, in orbis terræ memoriam sempiternam.

Ex minori

PRO ARCHIA POETA.

Peroratio
in qua bre-
uissime re-
petuntur
argumen-
ta supra
tractata.

Hec uero siue à meo sensu post mortem ab futura est, siue ut sapientissimi homines putauerunt, ad aliquam animi mei partem pertinebit, nunc quidem certè cogitatione quadam speq; delector, Quare conseruate iudices hominem pudore eo, quem amicorum studijs uidetis comprobari, tum dignitate, tum etiam uenustate, ingenio autem tanto, quanto id conuenit existimari, quod summorum hominum ingenijs expetitum esse uideatis, Causa uero eiusmodi, quæ beneficio legis, autoritate municipij, testimonio Luculli, tabulis Metelli comprobetur, Quæ cum ita sint, petimus à uobis iudices si qua non modo humana, uerum etiam diuina in tantis negocijs commendatio debet esse, ut eum qui uos, qui uestros imperatores, qui populi Romanires gestas semper ornauit, qui etiam his recentibus nostris uestrisq; domesticis periculis, æternum se testimonium laudum daturum esse profitetur, isq; est eo numero, qui semper apud omnes sancti sunt habiti atq; dicti, sic in uestram accipiatis fidem, ut humanitate uestra leuatus potius, quam acerbitate uiolatus esse uideatur. Quæ de causa pro mea consuetudine, breuiter simpliciterq; dixi iudices, ea confido probata esse omnibus, Quæ non fori, neq; iudiciali consuetudine, & de hominis ingenio, & communiter de ipsius studio locutus sum, ea iudices à uobis spero esse in bonam partem accepta, ab eo qui iudicium exercet certè scio.

Dispositio

DISPOSITIO ORATIONIS

pro Archia Poëta, autore Phi-
lippo Melanch.

Initio ὀμνολογίᾳ Exordij trademus. De reliqua oratione, & de causa postea dicturi sumus. Ac multas utilitates adfert hæc ratio distribuendarum sententiarum, qua hîc utemur. Primum enim uoluntatem uniuscuiusq; authoris, is demum recte adsequi poterit, qui seriem omnium sententiarum contem- plabitur, & animaduertet quomodo inter se consen- tiant. Deinde cum in alienis scriptis rationem coniun- gendi sententias animaduertimus, scribemus & ipsæ magis coherentia. Plurimum itaq; prodest hæc dili- gentia considerandæ dispositionis in oratione, tum ad imitationem, tum etiam ad iudicandum. Nam etiamsi nihil scripturi sumus, tamen hac ratione iudicandi de alienis scriptis, carere non possumus.

Locus Exordij sumptus est ex communi loco, scilicet ex officio referendæ gratiæ. Nulla est autem efficacior ratio conciliandæ beneuolentiæ, quàm quæ ab honesto aut ab officio ducitur. Estq; hæc propo- sitio, ex qua totum exordium nascitur, in prima pe- riodo posita, Ego debeo Archiam tueri, ut referam ei gratiam. In secunda periodo sequitur ἀπολογία, hoc est, probatio huius sententiæ, quia Archias adiuuit hoc meum studium dicendi. Tertio est ad- dita Conclusio. Cum beneficio Archiæ alijs opem ferre possim, conuenit ut ipsum quoq; defendam.

PRO ARCHIA POETA.

Cum sententiæ ad hunc modum detractis ornamentis digeruntur, facile postea est videre quæ ornamenta accedant. Prima periodus continet Incrementum, nam hæc cognatæ species ad unam sententiam amplificandi causa referuntur, ingenium, exercitatio, ratio, id est ars. In secunda periodo penè nullum est ornamentum, tantum fecit mentionem circumstantiæ, ne nimis brevis esset Circumductio. Conclusio est facta Enthymematis modo, & est repetitio duarum periodorum superiorum, Cum hæc vox sit ab Archia ad salutem aliorum assuefacta, ergo debet etiam Archiæ prodesse. Nam ommissa est maior absolvens Syllogismum, æquum est, ut quisq; fructum ferat sui beneficij. Tamen si hanc rationem subindicat, cum quædam uerba ab eo mutuatur.

Deinde sequuntur Occupationes due, Prima. Quomodo potest Poëta adiuuare Oratorem? Respondet breuissime quia omnes artes cognatæ sunt, & se mutuo adiuuant. Altera occupatio est. Videtur ineptum in foro loqui de artium & literarum studijs, id quod iam fecit Cicero, & paulò post copiosius faciet. Hoc excusat sumpto argumento à persona Archiæ, quia pro poëta ita conueniat dicere, ne magis etiam perturbetur ille, qui nunquam uersatus est in iudicijs, si res agatur usitata contentione.

Oratio est generis iudicialis, Status causæ est, quòd Archias sit ciuis Roman. Et hæc est principalis Propositio

DISPOSITIO ORATIONIS.

positio, ad quam referre argumenta oportet. Hæc in tota oratione ob oculos uersari debet, cuius si quis oblitus fuerit, non intelliget reliquam orationem. Nam in omnibus causis in primis oportet principalem Propositionem meminisse. Est autem status iudicialis. Argumenta ducta sunt à Lege, & à Testibus. Nam hi proprii loci sunt questionum iudicialium.

Sed præter hæc, longissimum argumentum à persona Archie & ab artium dignitate tractum est, illæ laudæ propriè ad genus Demonstratiuum pertinent, sed inde mutuamur sæpè argumenta ad iudiciales causas, quia dignitas personarum conciliat fauorem iudicium, & reddit causam magis probabilem & uerisimile. Ita & hic argumentatur Cicero. Quia Archias magna facultate ingenij præditus est, ergo credibile est eum ciuitate donatum esse. Item quia tali est ingenio, meretur retineri in ciuitate. Genus dicendi in hac oratione initio summissum, & ut uocant Atticum est. Neq; enim longis circumductionibus aut Expolitionibus, aut figuris procul accersitis usus est. Multæ breues sunt periodi, & propria oratio, postea circa finem aliquanto floridior est oratio.

Narratio continet propemodum historiam uitæ Archie & peregrinationem, ex quibus peruenit eò, ut doceat quomodo ius ciuitatis cōsecutus sit ex lege. Et est ad finem Narrationis Syllogismus additus, ubi primo loco ponitur Conclusio, Data est Ciuitas. De-

E 4 inde

PRO ARCHIA POETA.

inde Maior, Omnes qui in socijs ciuitatibus adscripti sunt, si in Italia, cum lex ferretur, domicilium habuerunt, & professi sunt intra dies LX. apud prætorem &c. sunt ciues, Archias adscriptus est Heracleæ & habuit domicilium Romæ & professus est &c. Ita clauditur narratio, non repetita conclusionem proprijs uerbis, sed quadam generali adseueratione, quia necesse intelligi Conclusionem recitatio Syllogismo, Si nihil nisi de ciuitate ac lege dicimus, nihil dico amplius, causa dicta est.

Deinde sequitur confirmatio, ante quam non repetit Propositionem supra positam ante Narrationem, sed tantum de minore adseuerat, quia Minor est $\kappa\rho\iota\nu\acute{o}\mu\epsilon\nu\omicron\rho$, ideo habet opus probatione. Et ut causæ summam complecti animo possis, Syllogismum supra positum meminisse oportet. Omnes inscripti in socijs ciuitatibus &c. sunt ciues. Archias est inscriptus. Ergo Archias est ciuis. Maior nihil habet ambigui, minor autem est incerta. Propterea tota Confirmatio uersatur in Minore probanda, & habet locos à Testibus & Tabulis, quòd sit Heracleæ adscriptus, quòd sit professus. Postea addit Verisimile ex Minore, multi alij leuiorum artium periti, adscripti sunt in socijs ciuitatibus. Ergo uerisimile est & hunc adscriptum esse. Postremo addit signa Romani ciuis, adiit hereditates, testamentum fecit in beneficijs ad ærarium delatus est, id est, ærario pecuniam

DISPOSITIO ORATIONIS.

pecuniam donauit ex testamentis.

Quia causa per se tenuis & exigua est, reddis eam splendidiorē & illustriorem addito loco Comuni de laude literarum. Et cum supra argumenta à re seu causa traxerit, hic à persona ducit argumentum Archias est homo literatus & poëta. Ergo est dignus quem in ciuitate retineamus. Transfert igitur orationem ab Hypothesi ad Thesin, id est, ad locum communem, scilicet, Omnes studiosi sunt colendi, Sed ut modeste prædicet Archiam, ne immodicæ laudes noceant ei, transfert rem in suam personam, dicit se plurimi facere Archiam. Est ergo propositio. Ego magnifacio Archiam, Sequitur Ratio, Enthymematis forma, quia eius studia profunt mihi ad delectationem, deinde etiam ad utilitatem in hac forensi facultate dicendi. Et huic rationi est subiecta breuis uel comprobatio uel repetitio. Sequitur Occupatio Tu ne igitur fateris te uersari in literis? Ad hoc respondet per Concessionem, & subiicit tres causas finales. Prima est, Ita uersor in literis tanquam in ludis, ut tamen non abducar à negocijs. Secunda. Ex literis crescit mihi facultas dicendi. Tertia. Literæ etiam gubernant meos mores, & consilia regende Reipub. Et addit rationem, Quia literæ continent doctrinam bene uiuendi. Et hanc sententiam illuminat per Interpretationem nonnihil mutatis uerbis.

Sequitur obiectio, Num igitur nulli sunt magni

PRO ARCHIA POETA.

uir sine doctrina? Primum Concessione utitur, quod multi uiri magni sine doctrina fuerint. Et addit rationem, quia magna naturæ uis est. Deinde subiicit correctionem, multum tamen conducit doctrina, et perfectum quiddam existit cum ad naturam bonam accesserit. Id probat exemplis. Postremo claudit hanc disputationem repetitione cause finalis leuioris, uidelicet, quod delectationis causa literæ non sint aspersanda. Et amplificat hunc finem per Collationem, nulla alia uoluptates perinde sunt perpetuæ. Porro distributio fit temporum, agunt senectutem, &c.

Haecenus de sua persona tantum dixit Cicero, hic Transitionem facit, et probat, debere iudices etiam admirari artem: et est argumentum à genere artis tractum. Ars est digna admiratione, ergo etiam Archias magnificandus est. Et similitudine reddit perspicuum argumentum. Sicut celeres motus erant corporis Roscij, qui magnopere delectabant &c. ita sunt ingenij Archie. Accedit probatio, quia multos uersus ex tempore fundit. Sequitur argumentum à differentia poëtica. Distinguit enim Anthithesi poëticam ab alijs artibus, et hæc est Enthymematis summa, poëtica est diuina, ergo poëtae sunt tractandi humaniter et colendi. Et adiecit Amplificationem ex laude Musices, di. Etiam ex maiore, Saxa respondent uocibus, bestiae flectuntur cantu, ergo et nos amemus carmen.

Haecenus recitauit argumenta sumpta à persona
Archie

DISPOSITIO ORATIONIS.

Archia extra causam, quod in ciuitate retinendus sit, quia sit poëta. Nunc subiicit exempla eodem pertinentia. Sicut alie ciuitates honore adferunt poëtas, ita et nos Archiam honore adficere debemus. Homerum multisibi uendicant, ergo et nos retineamus Archiam.

Additur est adfectus, nemo non fauet suis laudibus, Archias autem descripsit laudes Pop. Ro. Recitat igitur argumenta quadam poematum Archia. Deinde subiicit Scipionis exemplum. Scipio Ennium honore affecit, ergo uos hunc honore adficate. Accedit amplificatio à Græca lingua, Plures legunt Græca quam Latina, at Archias Græce scribit, melius igitur scribit quam Ennius. Addita est amplificatio ab utilitate scriptorum, quia gloria ad uirtutem incitat, scripta autem gloriam pariunt, quia retinent memoriam rerum gestarum, ergo scripta illa ad uirtutem incitant. Sequitur igitur scriptores esse dignos, qui omni officij genere colantur, Adiectum est exemplum de Achille et Homero, Achillis memoriam retinuit Homerus. Item, Pompeius iudicauit hæc scripta gloriam adferre &c. Accedunt et alia exempla Syllæ et Metelli, qui poëtis delectati sunt. Et Schema ex Minore interpositum est, quod facit uerisimilem Archia causam, Si alios poëtas studiose audierunt nostri imperatores, ergo uerisimile est, eos et hunc audiuisse, et facile concessisse ciuitatem.

Postea additur aīτολογία ex communi sententia,

Trahimus

PRO ARCHIA POETA.

Trahimur omnes cupiditate laudis. Hæc sententia Bruti & Fulvij exemplis comprobata est. Sequitur brevis conclusio, postquam suum exemplum commemorat, Et ego laude delector, & cum res meas gestas Archias descripserit, bene uolo illi. Sequitur repetitio loci communis, quod gloriæ et immortalitatis cupiditas, hæreat in animis, quæ ad res magnas gerendas exuscitat, estq; argumentum à causa finali ductum. Omnes gloriam appetimus tanquam finem laborum, quare hi qui monumenta condunt, honore afficiendi sunt. Et hæc sententia Rhetorica expositione est uariata, uerbis quater mutatis res eadem repetitur. Virtus appetit gloriam, Nemo tantos labores, tanta pericula susciperet, nisi laudis amore duceretur. Illa gloriæ cupiditas hæret in animis quæ ad agendum exuscitat. Turpe esset magnis uiris & in Rep. uersantibus, si ea essent opinione, simul cum ipsis morituram esse memoriam omnium quæ gesserunt. Hic subinde uides eandem sententiam paulummodo uariatam repeti. Multum accedit lucis, cum & locus argumenti notatus est, dixi enim à causa finali sumptum esse, & Elocutionis figuræ ostense sunt. Nam hic sententia ualde redditur perspicua si moneatur lector, rem eandem dici, tantum uariata forma orationis.

Amplificatio in fine addita est, uel à Simili uel ex Minore. Si corporum statuas relinquere cupimus,
multo

Q V A E S T I O. R H E T O.

multò magis poëmata relinquenda erunt, quia sunt durabilia, & sunt imagines animorum & consiliorum. Est autem sumptus hic locus ex Iso. Ευαγορα. Εγώ δέ, ὦ Νικόκλεις, ἠγοῦμαι μὲν εἶναι καὶ λα μνητεία καὶ τοὺς τῶν σωμάτων εἰκόνας. πολλὴ μὲν τοι πλείονος ἀξίας τὰς τῶν πράξεων καὶ τῆς διανοίας, ὥς ἐν τοῖς λόγοις ἀρτὶς μόνον τοῖς τεχνικῶς ἔχουσιν θεωρήσειε.

Postea sequitur Peroratio, quæ continet Deprecationem, in qua argumenta cause brevissime repetuntur, ut fit in Epilogis.

Quid est status Legitimus?

Est in quo tractantur definitio, contrarie leges, scriptum & sententia, ambiguum, ratiocinatio & translatio.

Quid est Definitio?

Est cum queritur quid res sit, ut Epistola Pauli ad Roma. est finitiui status, quia querit, quid sit iustitia coram Deo, & definit eam hoc modo, iustitia coram Deo, est credere, quod propter Christum, siue nostris meritis recipiamur in gratiam patris.

Qui sunt Loci status Finitiui?

Genus, Differentia, Proprium, Accidens, Cause, Effectus, partes, similia, pugnancia, autoritas, Atque hi loci à Dialecticis tractantur, unde sumendi sunt. Neque hic noua præcepta confirmationis, & confutationis traduntur. Sicut nec exordij, & perorationis

nis

GEORG. MAIO.

nis. Nam hæc duæ orationis partes sequuntur communia præcepta, supra tradita. Huius status magnam exemplorum copiam habes, in locis Theologicis Philippi Melanctonis. Suntq; hæc omnia diligenter, & magna cum luce, adhibitis etiam ad præcepta exemplis in Dialecticis, tum libris, tum questionibus, à Philippo pertractata, ut superuacaneum sit hoc loco annotare.

Quid est status contrariarum legum?

Est cum contrariæ leges faciunt controuersiam.

Hunc statum Græci uocant ἀντινομία, quale est hoc, opera non iustificant, & Deus reddet unicuiq; secundum opera sua.

Vnde summuntur confirmationes?

Ducuntur ex causis efficientibus. Lex enim habet autoritatē ab efficiente causa, & ex materia, hoc est, ex ipsis legibus si cum ratione consentiant, aut pugnent cum ratione, si circumstantiæ expendantur, quibus late sint, et an ad hos casus recte detorqueantur.

Quomodo dirimuntur legum
controuersiæ?

De dissolucnāis controuersijs legum, sunt certæ regule.

PRIMA.

Lex inferior cedit superiori, ut lex superior, nempe primæ tabule, est, Vnum cole Deum, inferior, secundæ scilicet tabule, Non facies furtū. Iudei itaq; spoliantes
antes

Q V A E S T I O. R H E T O.

antes Aegyptios, cum hac de re haberent expressum
mandatū excusantur per superiorē legem, Sic Abra-
ham immolaturus filium contra præceptum, Non occi-
des, solutus est legibus secundæ tabulæ per primam.

S E C V N D A R E G V L A.

Lex specialis derogat generali, præceptum est,
Ne reddas malum pro malo, & Magistratus Dei
minister est, & uindex ad iram. Hic altera senten-
tia prohibet uindictam, altera præcipit, sed quia po-
sterior sententia specialiter magistratui præcipit,
ut puniat improbos, ideo generi per speciem dero-
gatur. Generale præceptum fuit, ut expugnatis ur-
bibus, occiderentur tantum qui masculini essent se-
xus præter infantes, iumenta &c. quæ sunt in urbi-
bus. Saul uero, cum speciale mandatum à Deo habe-
ret, ut omnia Amalechitarum occideret & perde-
ret, debuit speciali præcepto parère, neq; generalis
legis de expugnandis urbibus habere rationem, Quia
generi derogatur per speciem.

T E R T I A.

Lex humana cedit diuinæ. Humana lex est, ut sa-
cerdotes sint cælibes, quæ legi diuinæ, melius est nus-
bere quam uri, cedat necesse est, Deo enim magis obe-
diendum est quam hominibus.

Q V A R T A.

Leges ueteres corriguntur, aut abrogantur no-
uis, Verus lex fuit, ut Christiani abstinerent à sana-
guine

GEORG. MAIOR.

guine, & suffocato, Quæ nunc per desuetudinem est
abrogata.

Quando oritur status siue contro-
uersia ex scripto & sen-
tentia?

Cum alter uerbis ipsis quæ scripta sunt, Alter
sententia scriptoris nititur, Cumq; uidetur scripto-
ris uoluntas à scriptis dissidere. Atq; hoc fit propter
scripti uel obscuritatem, uel ambiguitatem, Græci
uocant hunc statum ἐν τῷ νόμῳ ἀναλογία. Hæ uero
controuersia frequentes sunt in foro & negocijs Ec-
clesiasticis.

Qui sunt loci confirmationis, &
confutationis in negotijs
Forensibus?

Loci huius status sumendi sunt ex Dialectica, De-
finitio patefacit obscura, Diuisio discernit ambigua.
Ad hos locos accedunt reliqui, ut loci causarum, ef-
fectuum, circumstantiarum, Paterea inquirenda est
absurditas, si quid à ratione aut recepto iure dissen-
tit, ubi Leges & Rationes sunt afferendæ, quæ osten-
dant aduersarij opinionem, cum iure & natura pu-
gnare, Est etiam æquitas ex causis & effectibus colligenda,
Atq; in hoc genere controuersiarum datur
generale præceptum, ut excutiantur circumstantiæ.
Ex his sepe enim uenamur sententiam & iudica-
mus, utrum scriptum aut uoluntas consentiunt, aut
dissent.

Q V A E S T I O. R H E T O.

dissentiant, uerum est enim hoc Hilarij, circumstantiæ
illuminant dicta.

Quando defenditur uoluntas scrip-
toris contra scriptum?

Tunc, cum scriptum est, aut obscurum, aut absur-
dum, ut in hac sententia, nisi quis renatus fuerit de-
nuò, non potest uidere regnum Dei. Hic, quia Nicode-
mus ἐπιτορ & dictum ipsum solum, neq; uoluntatem
dicentis considerat, colligit absurditatem, Quomodo
potest (inquit) homo renasci cum sit senex, uunquid
potest in uentrum matris suæ iterato introire & re-
nasci?

Quomodo confirmantur & confutan-
tur ecclesiasticæ causæ?

Testimonijs scripturæ & iu-terpretatione, quæ
sacris literis sit conueniens, quibus adh. bendi sunt
etiam Dialectici loci supra indicati, Definitio & c, Ut
hæc sententia Iacobi, qua aduersarij operum doctri-
nam asserere nituntur, Videtis enim, quòd ex operi-
bus iustificatur homo, & non ex fide tantum, tum alijs
scripturæ locis, tum commoda interpretatione expo-
nenda est, id quod pulcherrime facit Philippus in A-
pologia. Locus, Vade uende omnia, non cogit discede-
re à facultatibus homines Christianos, quia alius locus
apertè inquit, Præcipe diuitibus & c.

Hinc ex definitione argumentamur. Diues est qui
possidet proprium, diuitem esse licet, ego & pro-
F prium

GEORG. MAIO.

Primum possidere licet. Atq; hinc in sacris literis hæc regula seruanda est, ut in dogmatibus & præceptis retineatur τὸ πᾶσι τοῖς, nisi impingat absurditas in aliquem articulum fidei, seu manifestum scripturæ locum, Tunc enim recipienda est uoluntas ex manifestis locis alijs collecta. Cæterum in dogmatibus & præceptis non est discedendum à uerbis scripturæ, cum absurditas tantum impingit in iudicium rationis.

Quando nascuntur controuersivæ ex ambiguo?

Cum uerbum aliquod generale aut ambiguum, parit dissensionem, ut in Canone, Sacerdos ducens uxorem suspendatur, ubi quidam intelligunt ut ab arbore suspendatur. Alij mitius interpretantur, suspendi tantum esse feriari ab officio ad tempus, Et in hoc loco, Hæreticum hominem deuita, Quidam imperiti putant præpositionem cum nomine esse, neq; uerbum deuitare, & interpretantur, deuita, scilicet tolle è medio & occide. Hic status est cognatus superiori. Habet autem hanc regulam præcipuam, Ambigua alia iudicantur ex Grammatica, aut phrasi, & figuris, ut, non cognoscebat eam donec peperit filium primogenitum. Nam particula donec, uarium habet usum in sermone. Alia iudicantur ex artibus, ex quibus sumuntur, ut, Non reddas malum pro malo, generalis sententia est, quæ ex scriptura iudicatur, ex qua constat tantum priuatam uindictam prohiberi,

Q V A E S T I O R H E T O .

hiberi, publicam non prohiberi. Ceterum & ad hunc statum adhibendi sunt loci Dialectici. Nam ambigua definitionibus & diuisionibus explicantur.

Quid est status Ratiocinationis?

Est cum disputatur de casu aliquo, qui legibus non comprehenditur, ut cum quaeritur an liceat heredibus maiorum suorum legata, quae missarum causa facta sunt, reuocare. Cum de hoc casu non extet scripta lex, opus est ratiocinatione ex simili, aut cognata re. Qualis est illa, Non licet heredibus pecuniam ciuitati ad spectacula legatam repetere, igitur nec legata ad pios usus repetenda sunt.

Qui sunt loci huius status?

Similia, cognata, Item, loci Dialectici, cum ex causa, toto, genere, argumentum ducitur, Atq; hic obseruanda est regula, ut similitudinis eiusdem cause sint, & ut sit in Syllogismo bona consequentia, ut scriptum est, Ecce duo gladij hic, igitur à pontifice necesse est omnes reges accipere regna, hæc non necessario coherent, sed infinita exempla quotidie offeret usus.

Quid est Translatio?

Est quod Iurisconsulti uocant Exceptionem cum non respondetur ad rem, sed proponitur exceptio aliqua, ut ille apud Comicum, actum, aiunt, ne agas, & tibi non competit actio, Coram hoc iudice hæc causa agi non potest, atq; hæc de genere iudiciali,

De genere Deliberatiuo.

F 2

Quid

GEORG. MAIOR.

Quid est genus Deliberatiuum?

Est quod uersatur in suadendo aut dissuadendo, in adhortando, & dehortando, petendo, precando, consolando, & similibus negocijs, quæ supra magna ex parte exposita sunt, atq; huius generis hoc tempore maximus est usus.

Quot sunt orationis partes in hoc genere?

Ut in ijsdem partibus orationis in genere Deliberatiuo, quibus in causis iudicialibus. Eadem est ratio Exordiorum, quæ supra indicata est, Narratione utimur, cum res poscit. Verum in hoc genere sæpe accidit, ut nihil adhuc gestum sit, quod narrare necesse sit. Propositio sequitur narrationem, & cum deest narratio, sola propositione utimur, non enim omitti propositio ulla in causa potest. Est enim caput orationis propositio.

Qui sunt loci Confirmationis?

Honestum & utile, & horum locorum species, ut fas, iustum, pius, æquum, mansuetum, quæ honestati subijciuntur, Ad quæstionem uero utilitatis pertinent, facile, possibile, necessarium, iucundum, & sine periculo.

Vnde sumitur Honestas?

Ex legibus diuinis & humanis, adeoq; ex uirtutum definitionibus. Honestas enim omnis ex uirtutum fontibus promanant, ut est, prudentia, iusticia, fortitudo,

Q V A E S T I O. R H E T O.

titudo, temperantia, clementia, liberalitas, & reli-
quarum uirtutum generibus. Quare qui uolet ab ho-
nesto argumentari, eum oportet uirtutum naturas
probè tenere, Hic sacrorum scriptorum, poëtarum,
philosophorum sententias, A pophthegmata, & histo-
riarum exempla oportet in promptu habere, Huc
pertinent & mores gentium, Instituta & religio.

Qui est locus utilitatis?

Utilitas sumitur ab istis rebus omnibus quarum ali-
quem usum monstrauit natura, id quod etiam indocti
facile cernunt, Atq; in hoc loco habenda ratio est cir-
cumstantiarum, loci, temporis, personarum, ut expe-
dit, sed non hoc loco, non hoc tempore, non huic per-
sonæ, Plurimum uero in hoc genere ualent exempla.

Qui sunt loci Confutationis?

Confutatio habet locos contrarios, inhonestum, in-
utile, difficile &c.

Peroratio quæ est?

Peroratio constat argumentorum repetitione &
affectibus: sed ut præceptorum usus facilius cerni
possit, subiicio duas orationes Qu. Fabij Maximi, &
P. Cornelij Scipionis Africani, Ex VIII. lib. III. De-
cadis Liuij. Vtraq; uero oratio est generis delibera-
tiui, Fabius enim dissuadet bellum in Africam trans-
ferendum, & hortatur, ut omnibus uiribus contractis
prius Hannibal ex Italia eijciatur, quàm exercitus
in exteras nationes deportetur, Scipio uero & se &

F 3 contra

ORATIO.

contrariam sententiam tuetur.

ORATIO Q. FABII MAXIMI.

Exordium Scio, multis uestrum uideri P. C. rem actam hodie
 à re ipsa duerna die agi, & frustra habiturum orationem, qui
 etum quo tanquam de integra re de Africa prouincia senten-
 mouet inui tiam dixerit. Ego autem primùm illud ignoro, quem-
 diam Scipi admodum certa iam prouincia Africa consulis uiri
 oni. fortis ac strenui sit, quam nec senatus censuit in hunc
 annum prouinciam esse, nec populus iussit. Deinde,
 si est, consulem peccare arbitror, qui de re transacta
 simulando se referre, senatum ludibrio habet: non sena-
 torem modo, qui de quo consulitur, suo loco dicit sen-
Propositio tentiam, Atq; ego certum habeo, dissentendi mihi ab
 annexam ista festinatione in Africam traiciendi duarum re-
 habens oc- rum subeundam opinionem esse, unius insitæ ingenio
 cupationē meo cunctationis, quam metum pigritiamq; homines
 adolescentes sanè appellent, dum me non poeniteat ad-
 huc aliorum speciosiora primo aspectu consilia semper
 uisa, mea usu meliora, alterius obrectationis atq; in-
 uidiæ aduersus crescentem indies gloriam fortissimi
Purgat su- consulis, A qua suspitione, si me neq; uita acta & mo-
spitiones à res mei, neq; dictatura cum quinque consulatibus, tan-
uita, mori- tumq; gloriæ, belli domiq; partæ uindicat, ut propi-
bus & reb. us fastidium eius sim, quàm desiderium, etas saltem li-
gestis. beret. Quæ enim mihi æmulatio cum eo potest esse, qui
Ab etate et ne filio quidem meo æqualis sit? me dictatorem, cum
facto suo. uigerem adhuc uiribus, & in cursu maximarum re-
 run

Q. F A B, M A X.

rum essem, recusantem nemo aut in senatu, aut ad
 populum audiuit, quò minus insectanti me magistro
 equitum, quod fando nunquam ante auditum erat, im-
 perium mecum æquaretur, rebus quàm uerbis asse-
 qui malui, ut qui aliorum iudicio mihi comparatus
 erat, sua mox confessione me sibi præferret, nedum
 ego perfunctus honoribus certamina mihi atq; æmu-
 lationes cum adolescente florentissimo proponã, uide-
 licet ut mihi iam uiuendo non solum rebus gerendis
 fesso, si huic negata fuerit, Africa prouincia decerna-
 tur. Cum ea gloria quæ parta est, uiuendum atq; mo-
 riendum est. Vincere ego prohibui Annibalem, ut à
 uobis, quorum nunc uigent uires, etiam uinci posset. Il-
 lud te mihi ignoscere P. Corneli æquum erit, si cum in **Confirma-**
 me ipso nunquam pluris famam hominum, quàm **tio proposi-**
 Rempub. fecerim, ne tuam quidem gloriam bono **tionis,**
 publico præponam, quanquàm si aut bellum nullum **Ab honesto**
 in Italia, aut is hostis esset, ex quo uicto nihil gloriæ **Amplifica-**
 quereretur, quæ in Italia retineret, & si id bono **tio à perso-**
 publico faceret, simul cum bello materiam gloriæ **na Anniba-**
 tuæ ire ereptum uideri posset. Cum uero Annibal ho- **lis per col-**
 stis incolumi exercitu, quartum decimum annum Ita- **lationem et**
 liam obsideat, pœnitebit te P. Corneli gloriæ tuæ, si **rhetoricam**
 hostem eum, qui tot funerum, tot cladum nobis cau- **contentio-**
 sa fuit, tu consul Italia expuleris, & sicut penes C. **nem.**
 Luctantium prioris punici perpetrati belli titulus **Ab exēplo.**
 fuit, ita penes te huius fuerit, nisi aut **Amilcar**
 Annibali

ORATIO.

**Ironia sub-
acerba.** Annibali dux est præferendus, aut illud bellum hu-
ic, aut uistoria illa maior clariorque quàm hæc (mo-
do contingat, ut te consule uincamus) futura est. Ab
Drepano atq; Eryco detraxisse Amylcarem, quàm
Italia expulisse Pœnos atq; Annibalem malis? Ne
tu quidem, et si magis partam quàm speratam glo-
riam amplecteris: Hispania potius quàm Italia bel-
**Repetit
propositio:
nem.** lo liberata gloriatus fueris, Nondum is est Annibal,
quem non magis timuisse uideatur, quàm contemp-
sisse, qui aliud bellum maluerit. Quin igitur ad hoc
accingeris, nec per istos circuitus, ut cum in Africam
traieceris, sequenturum te illuc Annibalem speres,
potius quàm recto hinc itinere, ubi Annibal est, eò
bellum intendis? Egregiam istam palmam belli punici
**Ab honesto
et commu-
ni omnium
hominum
sententia et
natura.** patratu petis? hoc et natura prius est, tua cum de-
senderis aliena ire oppugnatum. Pax ante in Italia,
quàm bellum in Africa sit, et nobis prius decedat ti-
mor, quàm ultro alijs inferatur. Si utrunq; tuo du-
ctu auspicioq; fieri potest, Annibalem hinc uicto, illic
Carthaginem expugna, si alterutra uictoria nouis
Consulibus relinquenda est, prior cum maior cla-
Ab utili. riorq; tum causa etiam insequentis fuerit. Nam nunc
quidem, præterquàm quòd et in Italia, et in Africa
duos diuersos exercitus alere ærarium non potest,
præterquàm, quòd unde classes tueamur, unde com-
meatibus sufficiamus præbendis, nihil reliqui est, pe-
riculi tandem, quantum ad eatur, quem fallit? P. Li-
cinius

Q. FAB. MAX.

ei in Italia, P. Scipio bellum in Africa geret. A periculis
Quid? si (quod omnes diu omen auertant, & dicere reformidat animus, sed quæ acciderunt, accidere possunt) uictor Annibal ire ad urbem pergat, tum demum te consulem ex Africa, sicut Quintum Fulvium à Capua accersemus? Quid? quod in Africa quoque Mars communis belli erit? Domus tibi tua, pater, patruusque, intra XXX, dies cum exercitibus cæsi, documento sint, ubi per aliquot annos maximis rebus terra marique gerendis amplissimum nomen apud Ab exemplis tum domesticis tuis externis.
exteris gentes Populo Romano uestraque familie fecerant. Dies me deficiet, si reges Imperatoresque temere in hostium terras transgressos cum maximis cladibus suis exercituumque suorum enumerare uelim. Athenienses prudentissima ciuitas, bello domo relicto, auctore æque impigro, atque nobili iuvene, magna classe in Siciliam transmissa, una nauali pugna florentem rempublicam suam in perpetuum afflixerunt, Externa & nimis antiqua repeto. Africa eadem ista, & M. Attilius insigne utriusque fortunæ Eleuat per antithesim res à Scipione gestas
exemplum nobis documento sint. Ne tibi P. Cornelium ex alto Africam conspexeris, ludus, & iocus fuisse Hispaniæ tuæ uidebuntur. Quid enim simile? pacato mari præter oram Italiæ Galliæque uectus Emporias in urbem sociorum classem appulisti: & expositos milites per tutissima omnia, ad socios amicos populi Romani Tarraconem duxisti: à Tarraco

ORATIO

cone deinde iter per præsidia Romana, circa Iberum exercitus patris patruiq; tui, post amissos Imperatores ferociore calamitate ipsa facti, & dux tumultuarius quidem ille L. Martius & militari suffragio ad tempus lectus, cæterum si nobilitas ac iusti honores adornarent, claris imperatoribus, quælibet arte belli par, oppugnata per summum ocium Carthago, nullo trium Punicorum exercituum socios defendente.

A difficili. Cætera, neq; ea eleuo, nullo tamen modo Africo bello comparanda, ubi non portus ullus classi nostræ apertus, non ager pacatus, non ciuitas socia, non rex amicus, non consistendi usquam locus, non procedendi, quacunq; circumspexeris, hostilia omnia atque infesta. An Syphaci Numidisq; credis? satis sit semel creditum, non semper temeritas est foelix, & fraus fidem in paruis sibi præstruit, ut cum operæ

Ab ijs quæ precium sit, cum mercede magna fallat. Non hostes antea Scipi patrem patruumq; tuum armis prius quàm Celtiberi socij fraude circumuenerunt, nec tantum tibi ipsi à Magone & Asdrubale hostium ducibus, quantum ab Indibili & Mandonio in fidem acceptis periculi fuit. Numidis tu credere potes, defectionem militum tuorum expertus? & Syphax & Masinissa, se quam Carthaginenses malunt potentissimos in Africa esse, Carthaginenses quàm quenquam alium, nunc illos æmulatio inter sese, & omnes cau-
sæ certa

Q. FAB, MAX.

se certaminum acuunt, quia procul externus metus est. Ostende Romana arma exercitum alienigenam, iam uelut ad commune restinguendum incendium concurrent. Aliter ijdem illi Carthaginenses Hispaniam defenderunt, aliter moenia patriæ, templa deum, aras, & focos defendent, cum euntes in prælium pauida prosequetur coniunx, & parui liberi occurrant bunt.

Quid porrò? si satis confisi Carthaginenses consensu Africæ, fide sociorum regum, moenibus suis, cum tuo exercitusq; tui præsidio nudatam Italiam uiderint, ultro ipsi nouum exercitum in Italiam aut ex Africa miserint? aut Magonem, quem à Balearibus classe transmissam præter ora in Ligurum alpino-rum uectari constat, Annibali se coniungere iusserint? Nempe in eodẽ terrore erimus, in quo nuper fuimus, cum Asdrubal in Italiam transcendit, quem tu qui non solum Carthaginem, sed omnem Africam exercitu tuo es clausurus, è manibus tuis in Italiam emisisti: Vitum à te dices, eo quidem minus uellem, & id tua non solum reipub. causa, iter datum uicto in Italiam esse.

Patere nos omnia quæ prospera tibi, & populi Romani imperia euenire, tuo consilio assignare, aduersa casibus incertis belli & fortunæ legare, quò melior fortiorq; es, eò magis talem præsidem sibi patriæ atq; uniuersa Italia retinet. Non potes ne ipse

A periculo

Calumniatur res à Scipione gestas.

Callida in se quidem

O R A T I O

quod uir quidem dissimulare ubi Annibal sit, ibi caput atq; ar-
 fortis et im cembuius belli esse, Quippe qui præ te feras eam tibi
 perator es causam esse traiciendi in Africam, ut Annibalem eò
 clarus, ad trahas, Siue igitur hîc, siue illic, cum Annibale est tibi
 propulsan- futura res. Vtrum ergo tandem firmior eris in Africa
 da pericu- solus, an hîc tuo collegæq; tui exercitu coniuncto? Ne
 la domi po- Claudius quidem, & Liuius consules tam recenti ex-
 tius retinen emplo, quantum id intersit, documento sunt? Quid
 dus es, neq; Annibalem, utrum tandem extremus angulus Brutij
 tuo præsi- agri frustra iam diu poscentem ab domo auxilia, an
 dio nudan- propinqua Carthago, & tota socia Africa potentio-
 da est pa- rem armis uirisq; faciet?

tria. Quod istud consilium est? ibi malle decernere,
 Ab utili et ubi tuæ dimidiò minores copiae sint, hostium multò
 oportuno. maiores, quàm ubi duobus exercitibus aduersus u-
 Ab exem- nam tot prælijs & tam diuturna, & graui militia
 plo. fessum pugnandum sit? Quàm compar consilium
 Amplificat tuum parentis tui consilio sit, reputa. Ille consul
 collatione profectus in Hispaniam, ut Annibali ab Alpibus de-
 consiliorũ scendenti occurreret, in Italiam ex prouincia redijt,
 patris & tu, cum Annibal in Italia sit, relinquere Italiam pa-
 Scipionis fi- ras, non quia reipublicæ id utile, sed quia tibi id am-
 liij. plum & gloriosum censes esse, sicut cum prouincia
 & exercitu relicto sine lege, sine S. C. duabus nauibus
 populi Romani Imperator, fortunam publicam, &
 maiestatem Imperij, quæ tum in tuo capite periclitat-
 Peroratio. bantur, commisisti, Ego P. Cornelium P. C. reipub.

nobisq;

S C I P I O N I S.

nobisq; non sibi ipsi priuatim creatum consulem existi-
 stimo, exercitusq; ad custodiam urbis atq; Italiae scri-
 ptos esse, non quos regio more per superbiam consu-
 les, quò terrarum uelint traiciant.

Cum oratione ad tempus parata Fabius, tum aucto-
 ritate, & inueterata prudentiae fama, magnam par-
 tem senatus & seniores maxime mouisset, pluresq;
 consilium senis, quàm animum adolescentia ferocem
 laudarent, Scipio ita locutus fertur.

O R A T I O S C I P I O N I S.

Et ipse Quint. Fabius principio orationis, P. C. Exordium
 commemorauit, in sententia sua posse obrectationem ab aduersa
 suspectam esse, cuius ego rei non tam ipse ausus sim, rij persona
 tantum uirum insimulare, quàm ea suspicio uitio ora- sumptum,
 tionis an rei, haud satis purgata est. Sic enim ho: quo exagi-
 nores suos & famam rerum gestarum extulit uer: tat obtre-
 bis, ad extinguendum inuidiae crimen, tanquam mihi ctationes
 ab infimo quoque periculum sit, ne mecum æmule: Fabij.
 tur: & non ab eo, qui, quia super ceteros excellat, Noëma.
 quò me quoque niti non dissimulo, me sibi æquari no-
 lit. Sic senem se perfunctum, & me infra ætatem filij
 sui posuit, tanquam non longius, quàm quantum uitæ
 humane spaciū est, cupiditas gloriæ extendatur:
 maximaq; pars eius in memoriam ac posteritatem
 promaneat. Maximo cuiq; id accidere animo cer-
 tum habeo, ut se non cum presentibus modo, sed
 cum omnis æui claris uiris comparet. Equidem
 haud

O R A T I O.

hanc dissimulo, me tuas Qu. Fab. laudes non assequi solum uelle, sed, bona uenia tua dixerim, si possim etiam exuperare. Illud nec tibi in me, nec mihi in minoribus natu animi sit, ut nolimus quemquam nostri similem euadere ciuem. Id enim non eorum modo, quibus inuiderimus, sed reipub. & penè omnis generis humani detrimentum sit.

Confutat à prioribus periculis susceptis & rebus à se gestis.

Congeries. Confutat difficultatem per colationem.

Ab opportuno.

Commemorauit quantum essem periculi aditurus, si in Africam traicere uelim, ut meam quoq; non solum & reipub. & exercitus uideretur ualde sollicitus. Vnde hæc repente de me cura exorta? cum pater patruusq; meus interfecti, cum duo exercitus eorum propè occidione occisi essent, cum amissæ Hispaniæ, cum quatuor exercitus Pœnorum, quatuorq; duces, omnia met u armisq; tenerent, cum qua situs ad id bellum imperator, nemo se ostenderet præter me, nemo profiteri nomen ausus esset, cum mihi quatuor & uiginti annos nato detulisset imperium Popu. Romanus, quid ita tum nemo ætatem meam, uim hostium difficultatem belli, patris patruiq; recentem cladem commemorabat? Vtrum maior aliqua nunc in Africa calamitas accepta est, quàm tunc in Hispania erat? an maiores nunc sunt exercitus in Africa, & duces plures melioresq; quàm tunc in Hispania fuerunt? an ætas mea tunc maturior bello gerendo fuit, quàm nunc est? an cum Carthaginensi hoste in Hispania quàm in Africa bellum geri aptius est?

Facile



SCIPIONIS.

Facile est post fusos fugatosq; quatuor exercitus Punicos, post tot urbes ui captas, aut metu subactas in deditioem, post perdomita omnia usq; ad oceanum, tot regulos, tot seuas gentes, post receptam totam Hispaniam, ita ut uestigium belli nullum sit reliquum, eleuare res meas gestas, tam hercule, quam si uictor ex Africa redierim, ea ipsa leuare, quæ nunc retinendi mei causa, ut terribilia eadem uideantur, uerbis extoluntur.

Negat aditum esse in Africam, negat ullos patere portus. M. Attilium captum in Africa commemorat, tanquam M. Attilius primo accessu ad Africam offenderit, neq; recordatur illi ipsi tam infœlici Imperatori patuisse tamen portus Africæ, & res gestas ab eo egregias primo anno, & quantum ad Carthaginenses duces attinet, inuictum ad ultimum permansisse, Nihil igitur me isto exemplo terrueris, si hoc bello non priore, si nuper & non annis ante XL. ista clades accepta foret, quin ego minus in Africam Regulo capto, quam Scipionibus occisis, in Hispaniam traicerem? Nec foelicius Xantippum Lacædemonium Carthagini, quam me patriæ meæ sine rem natum esse, cresceretq; mihi ex eo ipso fiducia, quod possit in hominis unius uirtute tantum momenti esse.

At etiam Athenienses audiendi sunt temere in Sicilia

Congeries rerum à se gestarum.

Confutat difficultatem per inuersionem exemplis ab Attilio sumptis.

A contrarijs exemplis.

ORATIO

liam, omisso domi bello, transgressi. Cur ergo, quoni-
 am Græcas fabulas enarrare uacat, non Agathoclem
 potius Syracusanum regem, cum diu Sicilia Punico
 bello ureretur, transgressum in hanc eandem Afri-
 cam, auertisse eò bellum, unde uenerat refers? sed quid
 ultrò metum inferre hosti, & ab se remoto periculo
 alium in discrimen adducere, quale sit, ueteribus ex-
 ternisq; exemplis admonere opus est? maius præsen-
 tius'ue ullum exemplum esse, quàm Annibal potest,
 Multum interest alienos populèrè fines, an tuos uri
 excindiq; uideas. Plus animi est inferenti periculum,
 quàm propulsanti, Ad hoc maior ignotarũ rerum est
 terror, bona malaq; hostium ex propinquo ingressus,
 fines aspicias.

Ab exem-
 plo ex mi-
 nore ad ma-
 ius.

Amplificat
 collatione
 uirium utri-
 usq; popu-
 li.

A facili.

A spe.

Non sperauerat Annibal fore, ut tot in Italia pos-
 puli ad se deficerent, quot defecerunt post Canena-
 sem cladem, quanto minus quicquam in Africa Car-
 thaginensibus firmum ac stabile est infidis socijs, gra-
 uibus ac superbis dominis? Ad hæc, nos etiam deserti
 à socijs uiribus nostris, Romano milite stetimus, Car-
 thagini nihil ciuilibus roboris est, mercede paratos mi-
 lites habent Afros, Numidasq; leuissima fidei mutan-
 dæ ingenia. Hic, modo nihil moræ sit, unà, & traie-
 cisse me audietis, & ardere bello Africam, & moli-
 entem hinc Annibalem, & obsideri Carthaginem,
 Letiores & frequentiores ex Africa expectate nun-
 cios, quàm ex Hispania, accipiebatis. Has mihi spes
 subjicit

SCIPIONIS.

Subijcit fortuna populi Romani dii foederis ab hoste **A spe.**
 uiolati testes, Syphax & Masinissa reges, quorum
 ego fidei ita innitar, ut benè tutus à perfidia sim.

Multa quæ nunc ex interuallo non apparent, bel-
 lum aperiet, & id est uiri & ducis non deesse fortunæ
 præbentise, & oblatu casu flectere ad consilium. Ha-
 bebo Qu. Fab. parem quidem Annibalem, sed illum
 potius ego traham, quàm ille me retineat. In sua ter-

Ab utili.

ra cogam pugnare eum, & Carthago potius præ-
 mium uictoriæ erit, quàm semi ruta Brutiorum ca-
 stella, ne quid interim, dum traicio, dum expono ex-
 erciturum in Africam, dum castra ad Carthaginem
 promoueo, Respub. hic detrimenti capiat, quod tu

**Confutat
 quod de pe-
 riculis obie-
 ctum fuit.**

Q. Fabi. cum uictor tota Italia uoligaret Annibal,
 potuisti præstare, hoc uide ne contumeliosum sit, con-
 cusso iam & penè fracto Annibale negare consulem,
 posse P. Licinium uirum fortissimum præstare, qui ne
 à sacris absit pontifex maximus ideo in sortem tam

Ab honesto

longinquæ prouinciæ uon uenit. Si hercule nihilo ma-
 turius hoc quo ego censeo modo perficeretur bellum,
 tamen ad dignitatem Populi Romani famamq; apud
 reges gentesq; externas pertinebat, non ad defen-
 dendam modo Italiam, sed ad inferenda etiam Afri-
 cæ arma uideri nobis animum esse, non hoc credi
 uulgariq; quòd Annibal ausus sit, neminem ducem
 Romanorum audere. Et priore Punico bello, tum cum
 de Sicilia certaretur, toties Africam à nostris exer-

A minori.

G citibus

O R A T I O

citibus & classibus oppugnatam, nunc cum de Italia certetur, Africam paccatam esse. Requiescat aliquando tam diu uexata Italia, uratur euasteturq; inuicem Africa. Castra Romana potius Carthaginis portis immineant, quàm nos iterum uallum hostium ex moenibus nostris uideamus. Africa sit reliqui belli sedes. Illuc terror fugaq; populatio agrorum, defectio sociorum, cetera belli clades, quae in nos per XIII. annos ingruerunt, uertantur. Quae ad rempub. pertinent & bellum quod instat, & prouincias de quibus agitur, dixisse satis est, illa longa oratio, nec ad uos pertinens sit, si quemadmodum Qu. Fab. meas res gestas in Hispania eleuauit, sic & ego contra gloriam eius eludere, & uerbis meam extollere uelim, neutrum faciam P. C. & si nulla alia re, modestia certe, & temperamento linguae, adolescens senem uicero, ita & uixi. & res gessi ut tacitus ea opinione quam uestra sponte conceptam animis haberetis, facile contentus essem.

D E G E N E R E D E M O N S T R A T I U O.

Quid est genus Demonstratiuum?

Est quo utimur in laudando aut uituperando.

Quotuplex est?

Triplex, Nam aut personae laudantur, ut Caesar,
Aut facta, ut hoc Caesaris factum, quod in Pharsalica
pugna iussit, parce miseris ciuibus, uel quod restituit
Marcellum, Aut res, ut clementia, iusticia, fortitudo.

De

DE GENERE DEMONSTRATIVO,
DE LAUDE PERSONARVM.

Quibus partibus orationis & locis uti-
mur in personarum laude:

Exordio, Narratione, & Peroratione.

Quæ est ratio Exordij?

Eadem est, quæ et in superioribus generibus causa-
rum, nisi quòd in hoc genere liberiora sunt Exordia,
ut in Epithalamijs, aut epicedijs apparet. Et interdum
à pompa publica, interdum ab effectu aliquo, à quæ-
rela, uel gratulatione inchoamur, ut Apostolus in
Rom. Primùm quidem gratias ago Deo meo.

Quæ est Narratio?

Narratio, qua personæ laudantur, est historica com-
memoratio totius uitæ.

Quibus locis constat Narratio?

Loci, quibus narratio in personarum laude con-
textitur, sunt, patria, natales, sexus, ingenium, pueri-
tia, educatio, disciplina, iuuentus, studia, doctrina, res
gestæ publicè aut priuatim, præmia rerum gestarum,
fortuna, diues, uel pauper, Conditio, clarus an obscu-
rus, magistratus an priuatus, natura corporis, natura
animi, uitæ exitus, & opinio post mortem, Qui loci
magna ex parte supra in statu coniecturali sunt per-
tractati. Est tamen alius isthic usus horum locorum
quàm in hoc genere. Licebit uero hîc interdum per
amplificationem, in alicuius uirtutis peculiarem lau-
dem excurrere.

LAVDATIONIS EXEMPLVM

An non utimur etiam Confirmatio-
tione & Confutatione?

Non, nisi cum aliquod dubium incidit, quod aut de-
fendendum, aut excusandum est, ut si quis Camillum
laudat, defendat non uiolasse pactum, quod cum Gallis
Romani pepigerant.

LAVDATIONIS EXEMPLVM DE Thucydide historico ex Aph- thonio Græco.

Exordium **A** Equum est eos qui utilia nobis adinuenere,
Propositio suis ipsorum inuentis ornare, & quod ab illis
proditum est, iisdem quoque ceu authoribus cum gra-
tia reponere. Quo circa Thucydidem laudaturus, ip-
sum oratione uelut suis ipsius floribus ornabo. Res-
ctum est autem honorare omnes à quibus beneficij
aliquid acceperis. Thucydidem uero cæteris tantò
studiosus, quanto ille quod in rebus humanis pulcher-
rimum est, nobis inuenit. Neque enim in tanto re-
rum humanarum numero, quidquam oratione dede-
ris præstantius, neque indicendi facultate Thucydide
Natio. superiorem quenquam inueneris. Natus est ergo Thu-
cydides è terra, quæ & uitam & artem ei dedit. Neque
Patria. aliunde prodijt quàm unde & bonæ artes omnes no-
Maiores. bis profluxere. Contigit enim ei nasci Athenis &
Fortunæ. maiores Reges habere. Fortunæ item potentiam à ge-
Bonæ. neris sui stirpe hæreditariam accepit. Ita factum est
ut cum in utrumque incidere & generis potentiam,
& rema

DE THUCYDIDE.

& rempub. liberam popularemq; utrinq; tamen ali-
 quid lucri fecerit, dum neq; iniuria cuiusquam aequato
 ciuium iure copias amplas habet, & popularem ferè
 tenuitatem generis sui opibus ditat. Ita natus educatur
 à puero, partim in ciuitatis consuetudine, partim le-
 gibus, quæ duo in hac ætate pro cæteris curæ esse de-
 bent. Ac uero cum, quæ erat adolescentis indoles, non
 minus in pace recte uiuere, quàm in bello patriam
 manu defendere statuisset, literarum & rei militaris
 studia coniungere consultum putabat, Sic fiebat ut
 dum neq; bonas artes ab armis separat, neq; rem mi-
 litarem præ literis uegligit, una eademq; meditatio-
 ne, utranq; artem sibi pararet. Atq; adeo ætate iam in
 uirum profectus, occasionem qua, quæ domi benè
 meditatus erat, in lucem ac hominum conspectum pro-
 ferre liceret, quærebat. Cum subito fortuna bellum
 exhibuit, qua fortuna sic usus est Thucydides, ut quæ
 in illo uniuersi fecere græci, ea quasi suum opus fece-
 rit, dum quæcunq; in bello gesta sunt suis monumen-
 tis fideliter adseruat. Quæ enim singuli pro se quisq;
 egere Græci, eorum memoriam temporis progressu
 obliterari, passus non est. Quin huius solius industria
 cognoscimus, plateam capi, Atticam direptione uasta-
 ri, Peloponessum classe circumnauigari, Naupactus
 naualem pugnam uidit, non passus est hoc latere Thu-
 cydides, capta est Lesbos, & uictoria etiam num ho-
 die prædicatur, aduersus Ambraciatas commissum

Educatio
institutio
que.

Indoles.

Studia.

Res gesta.

ALIVDEXEMPLAM

est praelium. De fama temporis longinquitas nihil detraxit. Quis autem iniquus adeo rerum aestimator est, ut cum hoc Herodotum comparare audeat, sanè ille omnia ad uoluptatem narrat, hic ad rerum gestarum uarietatem, ut quantò ueritas uoluptati anteponenda est, tantò quoq; Herodoto superior sit Thucydides. Plura dicerem de huius incomparabilis uiri laudibus, si eius uirtutibus ulla humana eloquentia, ne mea infantia par esse posset.

ALIVDEXEMPLVM LAUDA tionis personarum.

DECLAMATIO DE SANCTO Augustino autore Philippo Melanchthone.



IDEO MOREM ESSE SCO
le, ut mihi quidem uidetur laude dignum, ut in his congressibus aliàs de artium aut uirtutum dignitate dicatur, aliàs historie clarorum uirorum recitentur, quæ multa monent inuentum uel de studijs, uel de moribus. Cum autem de artibus, alijs sepe luculenter dixerint, quorum cum sit oratio subtilis et arguta, magis idonea est illis materijs, quàm mea, rursus de legi historiam, non eò tantum, quòd exempla prodesse iuuentuti statuo, sed etiam ob hanc causam quod hoc genus narrationum, mihi quidem texere facilius est, quàm illas argutas de artibus disputationes

L A V D A T I O N I S.

tationes . Ac me nuper dies Augustino dicatus cogi-
 tantem de ipsius ingenio , pietate, scriptis, admonuit
 de ipso ut maxime dicendum putarem. Opinor omnes
 pios ubiq; terrarum huius uiri recordatione delectari,
 Sed in hac schola præcipuè gratam eius mentionem
 esse decet, in qua Augustinus quasi renatus est, & eius
 doctrina, quæ iacuit obruta densissimis tenebris , non
 solum restituta est, sed etiam lumen accepit , Quæ cū
 sit necessaria Ecclesiæ, meritò Augustinum amare de-
 bemus, qui coelestem illum thesaurum præcipuè cōser-
 uauit . Et non nihil historiæ cognitio momenti adfert,
 ad intelligendas controuersias , quæ ab eo tractantur.
 Si in talib. spectaculis cum quadam approbatione au-
 ditæ sunt historiæ Platonis et Aristotelis, quantò magis
 conuenit fauere adferentibus pia exempla gubernato-
 rum ecclesiæ, quæ cum ostendunt qualia fuerint doctri-
 næ certamina, formant studiosorū iudicia, nosq; de Ec-
 clesiæ periculis admonent, et discendi curam exuscitāt.
 Ac præcipuè Augustini contentiones exemplo esse
 possunt, quanta doctrinæ uarietate & copia, quanta
 uigilantia opus sit ijs, qui in hoc munere uno omnium
 in terris maximo & difficilimo uersantur , uidelicet
 in dijudicatione & gubernatione doctrinæ Ecclesia-
 sticæ. Lucent in illis certaminibus exempla harum cō-
 muniū artium, quæ iuuentuti proponuntur. Qua-
 re non est intempestiuum cum de nostris artibus di-
 sci solet , decerpere aliquid ex Ecclesiasticis materijs,

DE SANCTO AVGVSTINO.

praesertim cum omnia studia nostra praecipue debeant
eò spectare, ut nos instruamus, ut Ecclesiae usui esse
possimus. Hic finis, hic scopus omnibus honis mentibus
propositus esse debet. Quare spero uos non improba-
re hoc genus argumentorum.

Quanquam autem uideo prolixiorē esse Augu-
stini historiam, quā ut hīc recitari tota possit,
etiamsi uelim eam nudam & sine ullis ornamentis
proponere. Verum in hac materia quoquo modo
elaborare pium esse duco: quod si uos quoque sen-
titis ut arbitror, peto mihi ueniam dari, quòd ora-
tionis sonum, ac splendorem non adhibeo, quem ua-
rietatis argumenti postulat. Non solum pulcherri-
mā uirtutes boni doctoris & gubernatoris Eccle-
siae hic monstrandae erant & oratione illustrandae,
sed etiam magno motu animi deploranda Eccle-
siae calamitas, quòd diu iam pro Augustinis re-
gnant pontifices, Caligulae, & Nerones, & extincta
ueteri doctrina, ac luce Euangelij, horrendae tene-
brae Ecclesiam oppresserunt. Doctrina de fide &
uera inuocatione Christi deleta est, idolatria ma-
nifesta recepta, & in scholas & contiones inuectae
sunt impiae persuasiones plurimae & nugacissimae
ruxae. Haec querele addendae erant his narrationi-
bus de Augustino, quae cum propter temporis bre-
uitatem omittendae sint, initio orationis breuiter
admonui adolescentes, ut cum audient historiam, ipsi
conferant

LAUDATIONIS EXEMPLVM

conferant exemplum apud sese ad alia tempora. Au-
dio ante annos duos & uiginti habitam esse oratio-
nem de Augustino à reuerendo D. Doctore Marti-
no Luthero, instauratore purioris doctrine Euana-
gelij, præceptore nostro summa pietate & obser-
uantia colendo, in qua historiam Augustini contu-
lit ad Psalmum, Beatus uir qui non abiit in consilio
impiorum &c. in quo Psalmo pius doctor describi-
tur, qui ueræ Ecclesiæ sententiam contra impios do-
ctores propugnat. Eam orationem non dubito com-
plexam esse & Augustini laudes, & uniuersam Eco-
clesiæ causam, quæ si extaret, iure uituperari possem,
si idem argumentum retexere ausus essem. Sed quia
desideratur, spero uos mihi equiores fore. Amo studia
sacrarum literarum, & propter hæc Augustinum
admiror. Quare de eo potissimum libuit dicere, cum
dies ei dicatus me nuper, ut de eius uita & certamini-
bus cogitarem diligentius, admonuisset. Venio igitur
ad historiam.

Natus est Augustinus honesto loco in municipio
Africano, quod ipse Tagastam uocat, Opinor au-
tem Thebestam à Ptolomeo uocari non procul di-
stantem à Madauro. Parentes fuerunt Patricius &
Monica. Christianæ religioni addicti, & si pater se-
ro matris pietate ad Christi agnitionem pertractus
est, uir alioqui grauis, honestus, & in primis libe-
ralis in fouendis filij studijs, ut Augustinus ipse præ-

DE SANCTO AVGVSTINO,

dicat. Matris uero magna pietas, & excellens in omni matrone officio uirtus fuit. Omitto hic, quæ de suæ pueritiæ moribus recitat ipse, quæ sunt communia omnibus etiam bonis ingenijs, etsi uoluit his exemplis imbecillitatem humani generis depingere, Sed humani generis corruptio habet alios maiores morbos, quam ibi recensentur. Dicam igitur, ut coepi de eis studijs.

Postquam domi percepit Grammaticen, missus est ad Rhetorices professores in oppidum Madaurum, quod à Thebesta distat miliaribus nostris opinor septem. Præcipua tunc in scholis cura erat ad suefacere adolescentes ad declamandum, & ad extemporalem facundiam, In eo genere cum aliquandiu exercitatus esset & foeliciter promouisset, Carthaginem mittitur, quæ à Madauro abest circiter decem nostra miliaria. Ibi cum & eloquentiæ & Philosophiæ operam daret, magnæ, opulentæ, & ociosæ urbis illecebris, ac licentia narrat & suos mores corruptos esse, ac nominatim quæritur sibi spectacula, & praua sodalicia nocuisse, quæ sunt communes corruptelæ iuuentutis, Nondum enim Baptismo initiatus erat, etsi Christianam religionem amplexus erat. Fuit enim uiciosa consuetudo ijs, qui liberius uiuere cupiebant, differre Baptismum usq; ad senectum, ut postea semel delectet Baptismus omnes priores lapsus. Quanquam
autem

LA VDATIONIS EXEMPLVM.

autem nonnihil laxauit frenum cupiditatibus, tamen mores erant placidi, & non pugnabant cum legibus ciuitatis, nec prorsus abductus est animus à studijs. Ibi cum in Ciceronis Hortensium incidit, cum à natura impetus ad uirtutem & decus ardentem haberet, commotus Ciceronis scripto reuocat ipse sese, & maiore seueritate regere mores incipit, licentiam priorem cohercet, seq; ad continentiam, ac ad pietatis studium exuscitat & componit. Præua ingenia, præsertim si absit metus, non facile emendantur literis & doctrina. Quare cum illius Ciceroniani scripti lectione potuerit in uiam reuocari Augustinus, satis apparet indolem bonam fuisse, nec defuisse ei illa uirtutum semina atq; initia, quæ uocat Aristoteles $\Phi\upsilon\sigma\iota\mu\acute{o}\varsigma$ & $\alpha\gamma\epsilon\tau\acute{o}\varsigma$. Etsi autem Ciceronis Hortensius non extat, tamen quod fuerit argumentum libri, Cicero alicubi commemorat. Defensio est Philosophiæ aduersus eos, qui ut nunc sunt iudicia aulica, contendebant nihil opus esse illa subtili eruditione. Hic Cicero ostendit, quæ sit uera Philosophia, ac ad eam colendam bona ingenia hortatur, declarat quas utilitates ad uitam adferat, in hac esse legum & omnium honestorum officiorum fontes, hac uocari & inuitari homines ad agnitionem Dei, ad æterni metum numinis. Ex hac doctrina, descriptionem anni certam sumptam esse, quæ remota, quantæ essent in uita tenebræ, deniq; complecti Philosophiam mul-

tata

DE SANCTO AVGVSTINO

tas artes uitæ utiles, Hanc fuisse summam illius scripti Ciceroniani, & ex alijs locis Ciceronis & ex Laetantio apparet, qui inde sententias quasdam excerpfit. Harum iucundissimarum disputationum lectione ita motus uidetur Augustinus, ut qui natura Musica sunt, etiamsi adhuc rudes sunt artis, & aliud agunt, tamen dulci cantu mirabiliter ad Musices amorem ac studium extimulantur. Nondum autem legerat sacras literas, nec ut uidetur conciones magnificerat, nec de doctrina pia multum disputaauerat cum pijs & eruditis, ut iudicare posset, quid præcipue profiteretur Euangelium, & quæ esset pura & incorrupta doctrina. Fatetur etiam sibi lectionem sacrarum literarum insuauem fuisse, propter genus sermonis, alienum à Latina consuetudine, Habeant enim uersiones admodum ineruditas.

Verum ut mihi uidetur, omnes, quia sacris literis abhorrent, nulla enim ætas non habet prophanos homines, offenduntur non tam genere sermonis, quàm inscitia rerum. Non uident genus doctrinæ dissimile esse Philosophiæ, non intelligunt disputationum consilia & seriem. Hæc inscitia reddit insuauem lectionem, ut dici solet, Ignoti nulla cupido. Cum igitur ignarus doctrinæ Christianæ non posset iudicio eligere doctores, fecit quod solet uulgus facere. Ut statuas ita doctores aestimant, ex uestitu, toruitate frontis, barba. Erat enim Africa plena Ma-

LAVDATIONIS EXEMPLVM

na Manichæorum, qui magnam uitæ puritatem simulabant, abstinebant à carnibus, improbabant coniugia, damnabant imperia & alios mores politicos, ut ab ambitione longissimè abesse uiderentur, Prædicabant se habere adflatus diuinos, & enthusiasmos. Hæ præstigiæ offusæ oculis hominum, mirificè capiunt animos. Suspiciamus enim eos qui cum Deo putantur habere commercia, ut Orpheum aut Numam homines admirati sunt, Denique naturaliter homines ad superstitionem propensi sunt. Significat etiam Augustinus se admiratione ac studio prodigiosarum disputationum inuitatum esse, potissimum ut Manichæis se adiungeret. Nam ardentia ingenia facile capiuntur nouis & inuolutis disputationibus. Talium plena erat secta Manichæa, quæ erat quædam confusio ex Stoicis deliramentis, & ex ueteribus hæresibus ac superstitionibus conflata. A Stoicis sumpserat duos Deos, Lucem & Hylen, defendebant fatum Stoicum, ineptias de astris contra artem de motibus cœlestibus docebant, prorsus tollebant libertatem humanæ uoluntatis. Reliqua ex hæresibus erant addita. Nec de Christo, nec de spiritu sancto recte sentiebant, scelerate fingebant, authorem suæ sectæ Manichæum, fuisse illum ipsum Paracletum, quem Christus promisit, iactabant se suis ritibus consequi Enthusiasmos. Hæc pestis latè uagata est, præsertim in Africa. Tanta est Diæ

DE SANCTO AUGUSTINO

est Diaboli potentia, ut omnibus aetatibus horribi-
liter dilaceret Ecclesiam. Cum igitur Augustinus
errore aetatis, tanquam uentis in has syrtes Mani-
chæorum delatus esset, paulatim, ut erat amans ue-
ritatis, attentius considerare dogmata coepit. Depra-
hendit igitur uanitatem sectæ in materijs Philoso-
phicis ut ipse inquit, quia Manichæi sine Arithme-
tica tradebant motus & congressus syderum com-
menticiosos & fabulosos, ac pugnantes cum uera com-
putatione. Quare cum annos nouem in ea secta uer-
satus esset, & exercuisset doctores ac nominatim
Faustum, errores refutans, non ille quidem tunc elu-
catus est, sed tamen probare & amare sectam de-
sijt, Mater interea assiduis lachrymis à Deo pete-
bat filij emendationem. Et ostendit Deus se pios ge-
mitus & uera uota exaudire. Diuinitus enim acci-
dit ut Augustinus cum Romam traiecisset, mittere-
tur à præfecto Romano Mediolanum, ut exerceret
ibi adolentes in dicendo. Quanquam autem ani-
mo iam erat alieniore à Manichæis, tamen portum
tenere nullum adhuc poterat. Et ex dubitatione illi,
ut fit, in Academicas opiniones incidit, diu nihil af-
firmans de religione. Quam multi nunc quoque cum se
euoluere ex disputationibus non possunt, prorsus fi-
unt à deo. Sed diuinitus ex hoc naufragio Augusti-
nus ereptus est, quod & matris lachrymæ pro eo
interpellabant, & ipse quamquam in dubitatione
uersabatur

LAVDATIONIS EXEMPLVM

uersabatur, audire tamen bonos doctores, ac legere
sacras literas non destitit. Narrat se tunc in Ploti-
ni libros iucidisse, in quibus fuerint quaedam de na-
tura Dei & de uerbo eterno, quas imitati sunt Phi-
losophi, & astute transtulerunt ad sese, ut Christia-
nae doctrinae authoritas extenuaretur. Sed tamen
Augustinus ait, se, deprehensa fraude, eos libros abie-
cisse, Mirum certamen in hac historia conspicitur ani-
mi inquieti, omnia exquirentis & explorantis ut ue-
ritatem inueniat. Multa monet hoc exemplum. Vi-
delicet doctrina & meditatione opus esse, & ad ag-
noscendam & ad retinendam ueritatem. Audiens
igitur Ambrosium attentè ac diu, cum unà esset etiam
mater, tandem Manichæam sectam aperte relinquit,
& sententiam Euangelij amplectitur. Cogitat etiam
de ducenda uxore, ablegata concubina. Aliquanto
post relicta artis professione, totum se dedit sacra-
rum literarum studijs & ueris lachrymis deplorat
priors suas tenebras. Tam diu mater unà manet,
donec Baptismo initiari filium uidit. Postea cum re-
dire in patriam cuperet, non uoluit ipse ab ea diuel-
li. Cumq; mater in itinere mortua esset, multa prius
cum filio de immortalitate, de doctrina Christia-
na, de Ecclesie ærumnis collocuta, ipse susceptum
iter non omisit, rediensq; in Africam cum suis so-
dalibus, in patria aliquandiu tanquàm in secessu ui-
xit. Inde propter doctrinae famam euocatus est ab
Episcopo

DE SANCTO AVGVSTINO

Episcopo Hipponensi Valerio, ad munus Presbyterij, in qua functione cum scholæ eius Ecclesiæ præseset, dicitur sodalicio illam regulam morum & exercitiorum præscripsisse, quæ extat. Nec aliud tunc fuit illud Collegium, nisi coetus scholasticus, ex quo liberumerat discedere omnibus, qui aliud vitæ genus appetebant. Etsi autem soli Episcopi concionabantur cum aderant, tamen Valerius iussit Augustinum se præsentem concionari, quod, quanquam grauatim faciebat Augustinus, ne Episcopi existimationem minueret, tamen postquam uidit seriò hoc petere Episcopum, obtemperat. Ibi cum Manichæos & Donatistas ita refutasset, ut plerique redirent ad sanitatem, reliqui uero oppido excederent, constituta tranquillitate eius Ecclesiæ, Valerius se uiuo curat hunc eligi Episcopum, ut prospiceret huius Ecclesiæ incolumitati etiam in posterum. Id munus administrauit circiter quadraginta annos, quo tempore uaria ei cum multis hæreticis certamina fuerunt, Magnam multitudinem ex Ethnicis etiam ad Euangelium pertraxit, quos facilius flexit, cum uiderent eius doctrinam diuinitus comprobari miraculis. Deleuit reliquias Arrianorum in tota uicinia, publicè reuincens Fœlicem Arrianum coram magistratu. Profligauit & Manichæos, Sed omnium durissimum certamen ei fuit cum Donatistis, qui non tantum concionibus & scriptis turbabant Ecclesias, sed manifesta
staus

LA VDATIONIS EXEMPLVM

Ita ui grassabantur . Erat factus Circumcellionum,
 qui per illam oram Africae passim sediciose uagaban-
 tur, & à se dissentientes alios interficiebant, aut malè
 mulctabant . Hi tumultus edictis & seueritate impe-
 ratorum, uix tandem sedati sunt. Maxime autem Au-
 gustino infesti erant Donatistæ, & quia ab ipso acera-
 rime refutabantur, & quia eius diligentia perfectum
 erat, ut Imperator seuitiam eorum coherceret, & fa-
 cultates quas Ecclesie ipsorum tenebant transferren-
 tur ad pias Ecclesias, ne impij doctores & eorum Sa-
 tellites, qui in prouincia grassabantur, illis fruere-
 tur . Cum autem sepe cum illis congressus sit Augu-
 stinus, disputando in publicis Synodis & coram Ma-
 gistratibus: cum sepe insidijs uita eius petita sit, hæc
 negocia & pericula duriter eum exercuerunt. Qua-
 re non existimemus fuisse ociosum Episcopum, aut
 tantum ceremonijs suis occupatum . Longe aliter de
 eo uiro sentiendum est, qui tunc ferè solus in excubijs
 fuit pro Ecclesia Christi, qui puritatem doctrine con-
 tra tot impias factiones, quæ multitudine, & potentia
 instructæ erant, & cum pijs assiduum & ἀσπρόνδον
 bellum gerebant, defendit: qui consilia Ducum & Im-
 peratorum in multis rebus, quæ ad publicam pacem
 pertinebant, gubernauit . Extant enim multe eius ad
 presides Epistolæ, grauiterscriptæ, Cuius iudicium
 & Italicos Episcopos reueritos esse uidemus. Ut igitur
 Homerus boni principis officia complexus est hoc

H

uersiculo

DE SANCTO AVGVSTINO,

uersiculo.

Αμφότερον βασιλεὺς τε ἀγαθὸς κρατερός τε
αἰχμητής.

Sic de bono Episcopo dici potest.

Αμφότερον συνετός κοσμητὼρ ἢ δ' ἀγορητής.

Vtraq; arte opus est ei uiro, qui præest Ecclesie, ut sit
ad docendum idoneus, ac prudens in iudicandis nego-
cijs, in cauendis insidijs aduersariorum, in tuenda
tranquillitate Ecclesie. Hæc cum præstiterit Augusti-
nus, fateri necesse est bene meritum esse de Ecclesia
Christi, lucent enim eius fides, constantia, prudentia,
uigilantia, in illis turbulentis negocijs omnibus eius
temporis.

Sed incidit tunc quedam causa, in qua maxi-
me eminet eius eruditio spiritualis, & ad quam reli-
qua certamina uidentur quasi quedam rudimenta fu-
isse. In hac peculiare beneficium Dei conspicitur, quod
per Augustinum Deus Ecclesie præstitit. Fuit quis-
piam Pelagius Philosophie, ut arbitror studiosus,
qui dum accommodare Christianam doctrinam ad
Philosophiam conatur, astute corripit piam doctri-
nam. Docuit legem Dei posse impleri, gratiam
Euangelij, tantum esse legis cognitionem, naturam
hominis integram esse ac sine peccato, homines iu-
stos & beatos esse legis impletione, & hac mereri re-
missionem peccatorum. Hæc, quia uidebatur Euan-
gelium pulchre congruere cum Philosophia & iudi-
cio

LADATIONIS EXEMPLVM

cio rationis, magno cum plauso excipiebantur in Ita-
 lia, Gallia, & Africa. Possidonius narrat, Innocenti-
 um Romanum Episcopum initio etiam non iniquum
 fuisse Pelagio. Sunt enim ex eo genere, quæ uocat
 Paulus $\pi\theta\alpha\upsilon\alpha$ quæ blandiuntur rationi. Sed unus
 Augustinus non solum uidit quid esset mali, sed etiam
 magno studio refutare errorem cœpit, Coëgit Sy-
 nodos, edidit plurima scripta, in quibus, penè sepul-
 tam doctrinam de gratia Christi renouauit, ac re-
 stituit illam peculiarem Ecclesiæ sapientiam de ius-
 titia fidei ignotam mundo. De peccato originis cla-
 rius scripsit quàm ante ipsum scriptores omnes. Ori-
 genes inuexerat perniciosas interpretationes in Ec-
 clesiam, de lege. Ex lege non iustificabitur omnis ca-
 ro, id est, ex cæremonijs. Item litera, id est historica in-
 terpretatio occidit. Spiritus, id est, allegoria de mo-
 ribus uiuificat. Hos lapsus Origenis tunc quoq; ma-
 gnum periculum erat reprehendere. Erant enim hæc
 interpretationes passim receptæ, & mordicus tene-
 bantur. Quare plane Prophetici spiritus fuit, unum
 uirum & uidere hos errores, & Paulo reddere ge-
 nuinam sententiam, & audere à iudicijs superiorum
 dissentire. Sicut plurimi ei obiecerunt cur unus au-
 deret refragari superiorum sententijs magno consen-
 su confirmatis. Ornatus est Augustinus miraculis
 quibusdam, expulit Demones, & quosdam egrotos
 sanauit. Sed hæc sunt longe præstantiora miracula,

DE SANCTO AVGVSTINO

Successus in gubernationi & hæc iudicij rectitudo, & fidei constantia, quod uidit Pauli sententiam de lege, de peccato, de iustitia fidei, & magno animi robore contra receptas persuasiones defendit. Tanta fuerat caligo, ut nec sermonis genus in sacris literis intelligeretur. Hæc ipsa uocabula, quæ sunt præcipua in Ecclesia, quas res propriè significarent, ignorabantur. Lex, Euangelium, peccatum, gratia, fides, litera, spiritus. Hæ tantæ tenebræ depulsæ sunt Augustini opera, qui quidem illas tantas res perspicere & iudicare non potuisset, nisi exercitia peculiaria spiritus degustasset. Cum autem maxime opus sit Ecclesiæ, uera istorum locorum explicatione, decet nos omnes agnoscere Dei beneficium, cuius donum erat, doctrinæ renouatio. Debetur & ipsi Augustino gratia, qui literis mandauit ueram interpretationem, ut posteritatem admoneret. Dixi de præcipuo Augustini merito, sed breuius, quàm magnitudo rei postulabat, quòd autem in tam difficilibus disputationibus interdum impropriè aut incommodè loquitur, uenia ei danda est. Temporibus ista erant. Nam ætas illa magis ad declamatoriam rationem dicendi, quàm ad accuratas disputationes assuefacta erat. Et difficile erat ex tantis tenebris materias illas euoluere. Rebus uero haud dubie prorsus congruit, cum sententia, quæ Dei beneficio rursus illuxit in hac schola, & quidem ipso monstrante. Omitto quam multa prudenter & dextrè respon-

LAVDATIONIS EXEMPLVM

responderit de uarijs negocijs. Reprehendit superstitiones
ofas opiniones de traditionibus humanis, monet non
esse cultus Dei, & sine peccato omitti posse. Apparet
tunc quoq; dubitasse multos, quid de militia & ciuili-
bus officijs sentiendum esset. Interrogatus igitur Au-
gustinus recte & dextre respondit.

Haecenus tantum ut doctorem laudauimus, etsi haec
quidem praecipua Episcopi laus est, Non de ceteris
uirtutibus dixi, quae in gubernatione necessariae sunt:
nondum de priuatis moribus. De utriusq; breuissime
dicam. In gubernatione praecipua laus est iusticiae,
quae uel seueritate utitur, cum causa postulat, uel leni-
tate, cum haec est utilior. Etsi autem nihil fuit in Au-
gustini natura tyrannicum, tamen ita lenis fuit, ut non
nimis esset indulgens aut lentus, ut satis declarauit
in multis causis. Calamensibus qui sediciose impetum
fecerant in Ecclesiam, non remittit omnino poenam,
etiamsi pro eis deprecabatur Nectarius. Et quidem
inquit, loquens de Ethnicis, se nolle ab ijs rogari, a
quibus Christus non rogetur. Bonifacium Comitem se-
uerè obiurgat, quod duxit Ethnicam coniugem. Rur-
sus multa leniter fecit. Non uult interfici militem,
qui templum uiolauerat, sed iubet eum admoneri, &
ad poenitentiam inuitari. Quidam donauerat certum
fundum Ecclesiae, post annum mutata uoluntate re-
petit tabulas Augustinus, ne cum homine perfidioso
solitigaret, tabulas reddit. Fuit & priuata uita ple-

DE SANCTO AUGUSTINO

na optimorum exemplorum, pudicitiae & temperantiae. Odit maledicos ut eius uersiculi testantur, fuisse amantem ueritatis indicant libri retractationum, quod suos errores ingenue fatetur et recantat. Egressus septuagesimum annum aetatis suae mortuus est, cum praefuisset Ecclesiae annos quadraginta feliciter. Accessit illa calamitas in ultima senectute. Vidit à Vandalis uastari Africam, qui cum passim omnia populati essent, cinxerunt obsidione urbem Hipponensem, in qua erat Augustinus, qui tunc luculentum illud opus scribebat, cui titulum fecit, Contra Iulianum. Rogauit autem Deum, ut uel depelleret hostes, uel se ex his miserijs euocaret ad immortalitatem, quia non posset esse spectator expugnationis. Decessit igitur Augustinus Anno Domini quadringentesimo tertio durante obsidione, ante captam urbem. Nec excussit ei fidem illa calamitas publica. Cum enim consuluisset eum uicinus Episcopus de fuga, an quaerendae essent latebrae, iussit eum Augustinus non deserere Ecclesiam. Etsi enim ruebat imperium, tamen Deo Ecclesiam curae futuram esse. Atque ita accidit. Nam preces Augustini & aliorum piorum non erant irritae. Quanquam enim urbs Hipponensis capta est, tamen paulò post, hoc bellum sedatum est, cum Vandalis dati essent sedes in Africa, ac durarunt ibi Ecclesiae annos ferè ducentos post Augustinum. Alij solent addere comparationes

LAUDATIONIS EXEMPLVM

tiones in epilogis laudationum, quorum consilium non admodum probo, nisi docendi causa fiat collatio. Prodest considerari, quid cuiusque scripta nobis conducant. Augustini lectio prodest in illis materijs, quas tractauit, nec uero quisquam tractauit pluras materias. Scripsit diligenter de Trinitate, refutauit Manicheos & Arrianos. Docet nos de gratia, & de iusticia fidei in refutatione Pelagij. Docet de Ecclesia in refutatione Donatistarum. Tantum de dogmatibus, et tam utilia, nec Hieronimus, nec quisquam alius scripsit, Ceterum alij sancti uiri alijs uirtutibus excelluerunt. Sed tamen anteferendi sunt illi, qui in administratione, in periculis, in acie uersati sunt, cum ceteri essent ociosi.

Recitavi historiam Augustini propter adolescentes. Quod enim exemplum magis hortari nos ad discendi curam potest, quam haec ipsa historia. Videmus qui fluctus excipiant eos, qui Ecclesijs praefuturi sunt, nec posse gubernatores tantum molem sustinere sine magna doctrinae copia & uarietate. Tot actam uarias controuersias tractauit Augustinus, quibus nullo modo par esse potuisset, nisi & multiplici eruditione instructus fuisset, & assiduum studium adhibuisset, ut promoueret, Docet pia pectora Spiritus sanctus, sed dona Dei discendo excitanda & cumulanda sunt, sicut Paulus hortatur Timotheum, ut sit assiduus

DE SANCTO AVGVSTINO

in lectione, & addit. Non negligas donum Dei, Ignas
uis dona Dei effluunt, sicut ostendit parabola de Ta-
lento. Tempora etiam nos moueant, ut in omnes bo-
nas disciplinas, quae sunt Ecclesiae necessariae, maiore
impetu incumbamus. Videtis enim non posse sine a-
cerrimis dimicationibus puritatem doctrinae retineri.
Conantur enim aduersarij multiplices Sophistica ob-
ruere. Nec desinit Diabolus subinde falsas opiniones
serere, ut offundat incautis aliquid erroris, ut fecit
in paradiso. Quare subinde exoriuntur nouae discor-
diae, ac plane fit, ut in ueteri comœdia dicitur, ἀπερὸς
πρὸς ἀπερὸν ἀλείφεται χεῖρετε ὑπικονίεται. Est
igitur opus Ecclesiae bonis & doctis uiris, quorum
uoce & scriptis propugnari gloria Dei possit. Ad
haec certamina uos praeparate. Nec uos iudicia indo-
ctorum deterreant. Midae, Centauri, & uulgus par-
tim contemnunt, partim oderunt literas. Verum eò
maiore diligentia ab omnibus pijs & amantibus Eco-
clesiam, tuenda & ornanda sunt, Quare intueamur
in exempla piorum, Pauli, Augustini, Ambrosij, &
aliorum, qui cum fuerint studiosissimi, excitemus nos
quoque ad discendi curam, quam quidem prae-
cipit spiritus sanctus, inquiens, Ver-
bum Dei inter uos abundet.

D I X I.

Vitu

VITUPERATIO PHILIPPI

Macedonis ad imitationem

Aphthonij.

Non minus peccant, qui vitia non accusant, **Exordium**
quàm qui virtutes non laudant. Nam utrunq;
iustitutum suum quoddam lucrum secum adportat,
Dum & boni præmium, & mali poenam inueni-
ant. Siquidem qui male facere sustinent, eos & male
audire non est iniquum. Atq; adeo Philippum, quan-
ta malitia mortales omnes antecellit, tantò quoq; iu-
stius est, eum ab omnibus publice vituperari. **Natio.**
Natus enim est scelestus hic ex ea gente, quæ inter omnes
barbaros vilissima semper est habita, quæq; ob igna-
uiam inconstantiamq; nullas sedes certas tenere po-
tuit. Primum enim gens hæc, quia intollerabilis
erat, pulsa est ab Argiuis. Deinde cum diu multumq;
oberrassent, in regionem, quam nunc tenent, sunt de-
lati, sic ut illinc melioribus cederent, hinc uero se eti-
am peiores, hoc est, pessimos pellerent. Nam quod
Agris sunt expulsi ignauia, quod uero hic imbecil-
iores suis sedibus depulere, aliena rapiendi studio
factum est. Et cum ex gente ignominiosa oriundus **Patria.**
sit, tamen ex ciuitate magis etiam infami natus est,
Vt enim abiectissimi barbarorum censentur Mace-
dones, ita Macedonum eiusq; terræ uelut quædam
sentina est pella, ut in qua ciuitate ne frugi quidem
seruorum ullus sit prouentus. Porro ex tam barba-

VITUPERATIO

Maiores et parentes. *raterra nato Philippo, parentes maioresq; multo etiam illaudabiliores contingere. Nam erat huic auus eiusdem nominis, cui, quò minus eius terræ regnum obtingeret, obstitit generis indignitas. Huic successit pater Amyntas, qui regnum alienis opibus tenuit. Pulsam enim in regnum reducere Athenienses, Hi maiores, hi parentes Philippi, ijs imaginibus conspicuus etsi longo tempore pacis obses à patre datus, Athenis uixit, atq; adeo in media Græcia est uersatus, tamen diuturna hac consuetudine tam nihil barbariei feritatisq; deposuit, ut barbaricum etiam luxum ac omnem uitæ intemperiem, in medijs Græcorum institutis seruauerit. Imò cum Græcis ac barbaris rationes uiuendi, sint diuersæ, ipse tamen qua erat immanitate, in utraq; gente idem, similem in dissimilibus, institutis uitæ prauitatem ob-
Educatio, institutio que praua in dolens. *tinebat. Ante omnia ne aliunde quàm unde uitæ instituta sumpsisset, perfidiam suam suspicaretur, suos ciues sibi in seruitutem primùm redegit. Deinde finitimos quoque populos bello uexauit, ut breui temporis spacio & Pheonas, & Illirios imperio suo adijceret, Nam quod Triballos gentem uel feris immanio- rem sibi adiunxit, nihil mirum. Quando insignis barbaries eum populum ei facile conciliabat, Attamen non quorum corpora bello coeperat, continuo & eorum animos pacis artibus sibi conciliare poterat. Quoniam subinde deficiebant, & quan-
Res gestæ. *quam***

PHILIPPI MACEDONIS.

quam uictoris crudelitatem horrebant, tamen rebellionem per omnes, penè dixerim noctes, somniabant, ut qui opere foris seruirent, intus cogitatione essent liberi. Ad eum modum cum & populos barbaris uicinos sibi obnoxios fecisset, inde ad Græcos castra mouit, atque adeo antequàm ipsam Græciam inuaderet, ciuitates quæ in Thracia Græcæ ditionis erant, euertit. Sic potius Amphiboli, Pydna. Potidea uictorias cumulare adproperans non quieuit, donec Phæra, Pagasæ, Magnassaq; imò Thessaliæ ciuitates omnes barbaricæ seruitutis iugum acciperent, & generis ipsius uelut notam portare sustinerent. Operæ præcium autem est & de beluæ istius morte aliquid commemorare. Nam cum diuina pariter & humana omnia subuerteret, & contra foederum sacro sanctam religionem plerisque sociorum acerba imperaret, Dijs foederum ruptorum ultores dignum factis exitium tyranno dederunt. Neq; enim in prælio pugnans cecidit, quò fortissimum aliquem mortis suæ testem reliquisset, sed in medio turpium uoluptatum gurgite suffocatus, se dignum sepulchrum in earum foeditate inuenit. Videlicet, ut quemadmodum eius uita, sic & mors intemperantiae fœdum exemplum posteris esset. Iam uero quæ terra tam immane monstrum produxit unquàm, quod cū hoc tyranno recte comparare queas? Sane Homerus cum extremæ crudelitatis imaginē pingere statuisset,

Echetum

Mors.

Comparatio.

VITVPE. PHILIPPAE.

Echetum quendam nobis deliniauit, ut qui inaudita quadam humani sanguinis siti, hospitibus suis aures atque nares truncauit, At Philippus non nares, non aures non digitos, non manus, non pedes, non denique aliquam corporis partem abscidit, sed homines totos, atque adeo populos uniuersos, atque ciuitates ipsas deuorauit, ut quanto acerbius est totum quam partem interire, tanto immanior Echeto Philippus sit censendus. Nullus certe modus iniuriarum Philippi, Sed tamen orationis huius nostrae finem aliquem statuamus oportet.

DE DEMONSTRATIONE factorum & rerum.

Quibus orationis partibus utimur in
factorum & rerum demon-
stratione?

Exordio, narratione, quae tamen saepe omittitur, & eius loco ponitur propositio, maxime si de facti historia constet.

Confirmationis loci sunt, honestum, utile, facile, difficile, necessarium, possibile.

Utilitas & facilitas petitur à circumstantiis, quae sunt. Quis, quid, ubi, quibus auxilijs, cur, quomodo, quando Confutatio constat locis contrarijs, quae tamen raro in hoc genere utimur.

Peroratio constat enumeratione & effectu, Exemplum demonstrationis Facti Cicero. Oratio pro M. Marcello. Rei uero, declamatio Erasmi de re medica.

Oratio

ORATIO PRO M. MARCELLO

diligenter distributis omnibus membris ac locis à Phi. Melan.

ORATIO PRO MARCO MARCELLO habet duas causas, Prior est gratiarum actio pro restituto Marcello, Altera est purgatio quarundam suspicionum Caesaris, cuius vitæ insidiari quidam dicebantur. Itaque non ad unum genus pertinet oratio, Sed prior pars est generis Demonstratiui. Laudatur enim Caesaris factum. Et finis est cognitio, uidelicet ut Caesar intelligat, suum beneficium Marcello gratum esse, Et ut alij dignitatem pulcherrimi et humanissimi facti intelligant. Quibus autem argumentis constet ea pars, qui communes loci de moderatione adhibenda, in magna potestate rerum, aspersi sunt, postea dicam.

Altera pars orationis pertinet ad genus iudiciale, ad statum coniecturalem, Probat enim suspensiones illas inanes esse, Deinde addit concessionem, fieri posse ut sint ueræ, ideo opponit consilium contra insidias ualiturum, hortatur ut muniat se præsijs, et addit rationes sumptas ex locis communibus, ex reipublice necessitate, et principis officio. Est autem tota oratio plena grauissimarum sententiarum, quæ ex omnibus doctrinis de mutationibus rerum publicarum sumptæ sunt, Et genus orationis mollissimum est, Et aliquando minus ambitiosum in compositione, quàm in alijs orationibus longioribus.

Exora

EXORDIVM.

Exordium
à tempore
& causa
dicendi
sumptum.
Ratio.

DIUTVRNI SILENTII P. C. quo eram his temporibus usus, non timore aliquo, sed partim dolore, partim uerecundia, finem hodiernus dies attulit, idemq; initium quæ uellem, quæque sentiam rem, meo pristino more dicendi. Tantam enim mansuetudinem, tam inusitatam inauditamq; clementiam, tantum in summa potestate rerum omnium modum, tam denique incredibilem sapientiam ac penè diuinam, tacitus nullo modo præterire possum. M. enim Marcello uobis P. C. Reiq; pub. reddito non solum illius, sed meam etiam uocem, & auctoritatem, & uobis & Reipublicæ conseruatam, ac restitutam puto.

Translatio

Conclusio. Dolebam enim P. C. ac uehementer angebar, cum uiderem uirum talem, qui in eadem causa, in qua ego fuisset, non in eadem esse fortuna, nec mihi persuadere poteram, nec fas esse ducebam, uersari me in uestro ueteri curriculum, illo æmulo atq; imitatore studiorum, ac laborum meorum, quasi quodam socio à me & comite distracto. Ergo & mihi & meæ pristinae uitæ consuetudinem C. Cæsar interclusam aperuisti, & his omnibus ad bene de omni Republica sperandum, quasi signum aliquod sustulisti.

Intellectum est enim mihi quidem in multis, maxime in me ipso, sed paulo ante in omnibus cum M. Marcellum Senatui, Reiq; publicæ

ORATIO.

publicæ concessisti, commemoratis præsertim etiam offensionibus, te, auctoritatem huius ordinis, dignitatemque Reipublicæ tuæ is uel doloribus, uel suspicionibus anteferre. Ille quidem fructum omnis antea actæ uitæ hodierno die maximum cœpit, cum summo consensu Senatus, tum præterea iudicio tuo grauissimo, & maximo, ex quo profecto intelligis, quanta in dato beneficio sit laus, cum in accepta tanta sit gloria. Est uere ille fortunatus, cuius ex salute non minor penè ad omnes, quàm ad illum, uentura sit læticia, peruenerit, quod ei quidem meritò atque optimo iure contigit. Quis enim est illo aut nobilitate aut probitate, aut optimarum artium studio, aut innocentia, aut ullo genere laudis præstantior?

SEQVITVR DISTRIBUTIO

Exordium instituitur à causa dicendi seu agendi, & initio auctum est occupatione, diu enim nihil egerat Cicero, propterea quod propter ruinam partium docebat eum lugere amicos. Ad hæc minus gratiæ atque auctoritatis tum habebat, Nunc igitur addit causam quare contra suum morem cœperit iam dicere, Et hinc sumitur exordij propositio ut postea causa dicendi exponatur.

Propositio, cum hæctenus causas nullas dixerim, hodie primum renouo ueterem meam dicendi consuetudinem.

DISTRIBVTIO ORATIONIS.

Suetudinem . Ratio sumitur ex loco communi . Quia egregias uirtutes naturaliter sequitur laus & prædicatio , ideo dicit . Non possum facere quin prædicem Cæsaris uirtutem & moderationem , Deinde sequitur expositio proximæ rationis , scilicet , qua in re Cæsar fuerit moderatus , uidelicet in restituendo Marcello . Idq; beneficiū exaggerat , & transfert primū ad se , deinde ad Rempubicam , ita fit duplex translatio . Transfert enim Cicero exemplum ad se , & ad Rempub . Quia Cæsar hoc exemplo ostendit se tales uiros in Repub . retinere uelle , & eorum auctoritatem rursus excitare . Sequitur igitur conclusio . Primum de se , deinde de Repub . Primum ait ad se pertinere beneficium , quia restituto socio , iterum ad dicendum redeat . Nam restituto oratore , addit Ciceroni animum , quòd oratoribus iterum concessurus esset locum in Republica . Deinde addit de Republica quòd beneficium ad totam pertineat Rempub . Quia Cæsar cum priuatas iniurias condonet Senatui , declarat , se Senatum & Rempub . incolumem uelle seruare , Atq; hæc pars exordij propemodum in hoc Syllogismo uersatur .

Magna uirtus non potest dissimulari . Cæsar insigni clementia & moderatione utitur erga Marcellum , me , & rempublicam .

Ergo redeo ad dicendum , Postea fit amplificatio beneficij ex persona Marcelli . Honorificum est Marcellum

cello

PRO MARCO MARCELLO

cello quod à Senatu tanti fit, ut pro eo deprecetur, Item quod tu eum dignum restitutione. Ergo ex natura correlatiuorum, Si gloriosum illi est accipere hoc beneficium, tibi dari gloriosius est ἐπιφώ-
νιμα. Marcellus est fortunatus, cum ipsius leticia pariatur publicam leticiam. Amplificatio à dignitate Marcelli, dignus est hac fortuna, quia est nobilis & uirtute præstans.

Textus orationis.

Nullius tantum est flumen ingenij, nulla dicendi **Propositio.**
aut scribendi tanta uis, tantaq; copia, quæ non dicam exornare, sed enarrare C. Cæsar res tuas gestas possit, tamen hoc affirmo & hoc pace dicam tua, nullam in his esse laudem ampliorem, quàm eam quam hodierno die consecutus es.

Distributio textus.

Hæc oratio non habet narrationem facti, quia res nota erat. Incipit igitur causam à propositione, & propositio facta est per comparisonem. Quanquam multa gessisti, & cum summa laude, tamen ex restitutione Marcelli multò maiorem laudem es adeptus, quàm ex alijs rebus bello gestis.

Textus orationis.

Soleo sæpe ante oculos ponere, idq; libenter cre- **Confirma-**
bris usurpare sermonibus. Omnes nostrorum impera- **tio.**
torum, omnes exterarum gentium potentissimorumq; **Primum**
populorum, omnes clarissimorum regum res gestas argumen-

1 cum tum ex cau-

sis sumptū. cum tuis, nec contentionum magnitudine, nec numero præliorum, nec uarietate regionum, nec celeritate conficiendi, nec dissimilitudine bellorum posse conferri. Nec uero disiunctissimas terras citius cuiusquam passibus potuisse peragrari quàm tuis, non dicam cursibus, sed uictorijs illustratæ sunt, quæ quidem ego nisi tam magna esse fatear, ut ea uix cuiusquam mens aut cogitatio capere possit, amens sim. Sed tamen sunt alia maiora. Nam bellicas laudes solent quidem extenuare uerbis, easq; detrahere ducibus, communicare cum militibus, ne propriæ sint Imperatorum, & certè in armis militum uirtus, locorumq; oportunitas, auxilia sociorum, classes, commeatus multum iuuant. Maximam uero partem quasi suo iure fortuna sibi uendicat, & quicquid prosperè gestum est, id penè omne ducit suum. At uero huius gloria C. Cæsar quàm es paulò ante adeptus, socium habes neminem, totum hoc, quantumcunq; est, quod certè maximum est, totum est inquam tuum, Nihil tibi ex ista laude centurio, nihil Præfectus, nihil cohors, nihil turma decerpit. Quinetiam illa ipsa rerum humanarum domina fortuna, in istius se societatem gloriæ non offert, tibi cedit, tuam esse totam et propriam fatetur. Nunquam enim temeritas cum sapientia commiscetur, nec ad consilium casus admittitur.

Distributio textus.

Primum argumentum ex causis sumptum est. Est q; Enthymea

PRO MARCO MARCELLO.

Enthymema. Res bellicæ non sunt proprie nostræ, & magna ex parte ne quidem consilio reguntur. At clementer facta sunt proprie nostra, & ratione tantum fiunt. Igitur sunt honestiora. Sed conclusio differtur, & ratio consequentiæ omissa est, Nam sensus communis eam offert, quia neq; alienam laudem nobis pariunt, neq; illa quæ non reguntur consilio.

Præponit autem Enthymemati concessionem in qua res bellicas Cæsaris amplificat. Quia enim præfert hanc domesticam laudem, ne nimium uideretur extenuare res bellicas, proderat ea prius ornari atq; laudari.

Textus orationis.

Domuisti gentes immanitate barbaras, multitudi-
ne innumerabiles, locis infinitas, omni copiarum ge-
nere abundantes. Sed tamen ea uicisti, quæ & natu-
ram & conditionem ut uinci possent, habebant. Nul-
la est enim tanta uis, tanta copia, quæ non ferro, ac
uiribus debilitari, frangiq; possit. Verum animum
uincere, iracundiam cohibere, uictoriam temperare,
aduersarium nobilitate, ingenio, uirtute præstantem,
non modo extollere iacentem, sed etiam amplificare
eius pristinam dignitatem, hic quæ faciat, non ego eum
summis uiris comparo, sed similitimum Deo iudico.

Secundum argumentum à difficultate sumitur,
Difficilius & gloriosius est iram uincere, præser-
tim in uictoria, quàm bello hostes, atq; urbes cape-

I 2 re.

ORATIO.

re . Alibi hostes bello superasti , hic uicisti iracundiam , Igitur hoc factum difficilius & gloriosius est . Sed hæc conclusio paulò post sequetur . Hæc est sententia duorum argumentorum . Cicero etsi non astrinxit formis Dialecticis , tamen ita recitat , ut membra Dialecticæ formæ agnosci possint , & tamen sermo liberior est , Cæterum addit ornamenta , sententias ex locis communibus sumptas , & compositionem , quæ agnosci facile possunt cognitis principalibus membris .

Textus orationis .

Conclusio
figurata
concessio-
ne.

Collatio
uirtutū pa-
cis et belli.
Amplifica-
tio ex mi-
nore.

Itaq; C. Caesar bellicæ tuæ laudes celebrabuntur , illæ quidem non solum nostris , sed penè omnium gentium literis , atq; linguis , neq; ulla unquam ætas de tuis laudibus contiescet , sed tamen eiusmodi res nescio quomodo etiam dum laudantur , aut dum leguntur , obstrepi clamore militum uidentur , & tubarum sono , At uero cum aliquid clementer , mansuete , iuste , recte , moderate , sapienter factum , in iracundia præsertim , quæ est inimica consilio , & in uictoria , quæ natura insolens , & superba est , aut audimus , aut legimus , quo studio incendimur , non modo in gestis rebus , sed etiam in factis , ut eos sæpe , quos nunquam uidimus diligamus . Te uero , quem præsentem intuemur , cuius mentem , sensusq; & os cernimus , ut quicquid belli fortuna reliquum Reipub. fecerit , id esse saluum uelis , quibus laudibus effe-
remus

PRO MARCO MARCELLO.

remus, quibus studijs prosequemur, qua benevolentia complectemur. Parietes medius filius C. Cæsar, ut mihi uidetur, huius curiæ tibi gratias agere gestiunt, quod breui tempore futura sit illa authoritas in his maiorum suorum & suis sedibus. Equidem cum Marci Marcelli uiri optimi, & commemorabili pietate ac uirtute præditi lachrymas modo uobiscum uiderem, omnium Marcellorum meum pectus memoria effudit, quibus tu etiam mortuis M. Marcello conseruato, dignitatem suam reddidisti, nobilissimamq; familiam iam ad paucos redactam, penè ab interitu uendicasti. Hunc tu igitur diem tuis maximis & innumerabilibus gratulationibus iure antepones. Hæc enim res unius est propria cæsaris, cæteræ duce te geste magnæ illæ quidem, sed tamen multo magnoq; comitatu. Huius autem rei tu ipse es et dux et comes, quæ quidem tanta est, ut ei nulla sicut trophæis, monumentisq; tuis finem allatura sit ætas. Nihil enim est opere, aut manu factum, quod aliquando non conficiat, & consumat uetustas. At uero hæc tua iustitia, & lenitas animi florescet quotidie magis, ita ut quantum operibus tuis diuturnitas detrahet, tantum afferat laudibus. Et cum cæteros quidem omnes, uictores bellorum ciuilium iam ante pietate, & misericordia uiceris, hodierno uero die te ipsum uicisti.

Distributio textus.

Conclusio est duorum argumentorum, que supra

I 3

recedunt

Repetitio
conclusionis.

Tertium
argumentum à perpetuitate.

ORATIO

recensuit. Ergo hæc moderate facta sunt laudabiliora. Sed Cicero auxit conclusionem, repetita concessione de bellicis laudibus, his postea opponit moderate facta. Et tota res sumpta est ex loco communi, ex collatione uirtutum castrensium, & aliarum uirtutum, quæ, quia sunt mitiores, naturaliter blandiuntur magis hominibus quàm alteræ, Valent enim tantum ad bonitatem, seu ad benefaciendum, non ad nocendum, Quare suauiores & amabiliore sunt.

Amplificat conclusionem ex minore. Hæc bonitas delectat etiã in absentibus & in personis fictis, quanto magis in te præsentem. Quia uirtus est quidem ipsa amabilis, etiamsi mortuis aut fictis personis tribuatur, sed tamen efficacius mouet animos, cum ipsi præsentem ea fruimur.

Sequitur προσωπονία, Curia sentit hanc nostrã letitiam, & gaudet te restituere rempub. restitutis senatoribus. Aliud παύση, Mortui gaudent conseruari familias. Deinde repetit conclusionem breuiter, & mox attexit tertium argumentum.

Durabilis laus est amplior. Hæc laus quam consecutus es hac bonitate, non est quidem ornata trophæis, & statuis, sed est in animis posita, & perpetua. Quia insignem uirtutẽ semper amant, semper admirantur hoës. Ideo hæc laus est amplior quàm ulla trophæa.

Quartũ argumentum habet collationem ciuiliũ uictoriarum, quæ plurimum ualent, & ex ipsis officijs

cijs

PRO MARCO MARCELLO.

cijis & exemplis summorum principum sumpta est.

Textus orationis.

Vereor ut hoc, quod dicam non perinde intelligi
auditu possit, atq; ego ipse cogitans sentio, ipsam ui-
ctoriam uicisse uideris, cum ea quæ illa erat adeptæ ui-
ctis remisisti. Nam cum ipsius uictoriæ conditione iure
omnes uicti occidemus, clementiæ tuo iudicio con-
seruati sumus. Recte igitur unus inuictus es à quo eti-
am ipsius uictoriæ conditio, uisq; deficta est. Atqui
hoc C. Cæsaris iudicium P. C. quàm late pateat atten-
dite. Omnes enim qui ad illa arma fato sumus nescio
quo reipub. misero funestoq; compulsi, et si aliqua cul-
pa tenemur erroris humani, à scelere certè liberati su-
mus. Nam cum M. Marcellum deprecantibus uobis
reip. conseruauit, me metmihî, & item reip. nullo
deprecante, & reliquos amplissimos uiros, & sibiipsis
& patriæ reddidit, quorum et frequentiam & digni-
tatem hoc ipso concessu uidetis. Non ille hostes indu-
xit incuriam, sed indicauit à plerisque ignoratione po-
tius et falso atq; inani metu, quàm cupiditate aut cru-
delitate ciuile bellum esse susceptum, quo quidem bel-
lo semper de pace agendum audiendumq; esse putauit,
semperq; dolui non modo pacem, sed orationem ci-
uium pacem efflagitantium repudiari. Neq; enim
ego illa nec ulla unquàm secutus sum arma ciuilia,
semperq; mea consilia pacis, & togæ socia, non belli,
atq; armorum fuerunt, hominem sum secutus priuato

ORATIO

officio non publico, tantumq; apud me grati animi
fidelis memoria ualuit, ut nullo non modo cupiditate,
sed ne spe quidem prudens, & sciens tanquam ad inte-
ritum ruerem uoluntarium, quod quidem meum con-
siliium minime obscurum fuit. Nam & hoc in ordine
integrare multa de pace dixi, & in ipso bello eadem
etiam cum capitis mei periculo sensi. Ex quo nemo
erit tam iniustus rerum aestimator, quid dubitet quæ
Cæsaris uoluntas de bello fuerit, cum paucis autho-
res conseruandos statim censuerit, cæteris fuerit ira-
tior.

Distributio textus.

Amplificat quartum argumentum, Primum posi-
ta propositione, quod mitigauerit crudelitatem uicto-
riæ, quod uidelicet nemo præter Cæsarem ante fecit
unquam in ista Republica.

Et commoratur in hoc loco, commemorans quàm
multos conseruauerit Cæsar, quibus iure irasci potu-
it, Et amplificat hunc locum dupliciter. Primum ait
ipsum Cæsarem, cum conseruaret aduersarios & pri-
stinae dignitati restituit, significare quod non sint im-
probi Ciues, quod errore lapsi sint. Deinde ipsi Cæsa-
ri tribuit studium pacis. Ratiocinatur eum pacem
maluisse, quia nunc, studeat conseruare pacis autores.
Hæc coniectura ex effectu prudentissime cogitata,
mirifice hic ualet.

Textus orationis.

Atq;

PRO MARCO MARCELLO.

Atq; id minus mirum uideretur fortasse tum, cum
esset incertus exitus, & anceps fortuna belli. Qui ue-
ro uictor pacis authores diligit, is profecto declarat,
maluisse se non dimicare, quàm uincere. Atq; huius
quidem rei M. Marcello sum testis. Nostri enim sen-
sus, ut in pace semper, sic tum etiam in bello congrue-
bant. Quoties ego eum & quanto cum dolore uidi,
cum insolentiam certorum hominum, tum etiam ipsi-
us uictoriae ferocitatem extimescentem? Quo gratior
tua liberalitas C. Cæsar nobis, qui illa uidimus, debet
esse. Non enim iam causæ sunt inter se, sed uictoriae
comparanda. Vidimus tuam uictoriam præliorum
exitu terminatam, gladium uagina uacuum in urbe
non uidimus. Quos amisimus ciues, eos Martis uis
perculit, non ira uictoriae, ut dubitare debet nemo,
quin multos, si fieri posset, C. Cæsar ab inferis ex-
citaret, quoniam ex eadem acie conseruat quos po-
test. Alterius uero partis, nihil amplius dicam, quàm
id quod omnes uerebamur, nimis iracundam fuisse
futuram uictoriam. Quidam enim non modo ar-
matis, sed interdum etiam ociosis minabantur. Nec
quid quisq; sensisset, sed ubi fuisset, cogitandum esse
dicebant, ut mihi quidem uideantur dii immortales,
etiam si pœnas à populo Romano ob aliquod deli-
ctum expetiuerint, qui ciuile bellum tantum &
tam luctuosum excitauerunt, uel placati iam, uel
etiam satiati aliquando omnem spem salutis ad cle-

Amplifi-
cat à tem-
pore.

Exemplū.

Collatio
uictoriae.

Epiphones
ma.

O R A T I O

Conclusio. mentiam uictoris & sapientiam contulisse . Quare gaude tuo isto tam excellenti bono, & fruere cum fortuna & gloria, tum etiam natura & moribus tuis, ex quo quidem maximus est fructus, iucunditasq; sapientii. Cetera cum tua recordabere & si per sepe uirtuti, tamen plerumq; foelicitati tuae gratulabere. De nobis, quos in republica tecum simul saluos esse uoluisti, quotiens cogitabis, totiens de maximis tuis beneficijs, totiens de mirabili liberalitate, totiens de singulari sapientia tua cogitabis, quae non modo summa bona, sed nimirum audebo uel sola dicere . Tantus est enim splendor in laude uera, tanta in magnitudine animi & consilij dignitas, ut haec à uirtute donata, cetera à fortuna commodata esse uideantur. Noli igitur in conseruandis bonis uiris defatigari, non cupiditate praesertim, aut prauitate aliqua lapsis, sed opinione officij stulta fortasse, certe non improba, & specie quadam reipublicae. Non enim culpa tua est, si te aliqui timuerunt. Contraq; summa laus, quod pleriq; minime timendum esse censerunt.

S E C V N D A P A R S

Transitio
Amplificat à communi periculo.

Nunc uenio ad grauissimam quærelam, & atrocissimam suspicionem tuam, quae non tibi ipsi magis, quam cum omnibus ciuibus, tum maxime nobis, qui à te seruati sumus prouidenda est. Quam & si spero esse falsam, nunquam tamen uerbis extenuabo.

Tua

PRO MARCO MARCELLO.

Tua enim cautio, nostra cautio est, ut si in alteru-
tro peccandum sit, malim uideri nimis timidus quàm
parum prudens. Sed quisnam est iste tam demens?
de tuis ne? tametsi qui magis sunt tui, quàm quibus tu
salutem insperantibus reddidisti? an ex eo numero, qui
unà tecum fuerunt? Non est credibilis tantus in ullo
furor, ut quo dūce omnia summa sit adeptus, huius ui-
tam non anteponat suæ. At si tui nihil cogitant
sceleris, cauendum est, ne quid inimici. Qui? omnes
enim qui fuerunt, at sua pertinacia uitam amise-
runt, aut tua misericordia retinuerunt, ut aut nulli
superfint de inimicis, aut qui superfuerunt, amicissi-
mi sint. Sed tamen, cum in hominum animis tantæ
latebræ sint, & tanti recessus, augeamus sane suspi-
cionem tuam, simul enim augebimus & diligen-
tiam. Nam quis est omnium tam ignarus rerum,
tam rudis in Republica, tam nihil uuquàm nec de
sua, nec de communi salute cogitans? qui non intel-
ligat tua salute contineri suam? & ex unius tui ui-
tam pendere omnium? Equidem dies noctesq; de te,
ut debeo, cogitans, casus duntaxat humanos, & in-
certos euentus ualetudinis, & naturæ communis
fragilitatem extimesco, doleoq; cum Respubli-
ca immortalis esse debeat, eam in unius mortalis
anima consistere. Si uero ad humanos casus, in-
certosq; euentus ualetudinis, sceleris etiam ac-
cedat, insidiarumque consensio, quem Deum
etiã

Occupatio

Dilemma.

Dilutio præ
mæ partis.

Occupatio

Adhortatio.

O R A T I O

etiam si cupiat opitulari posse Reipublicæ, credamus? Omnia sunt excitanda tibi, C. Cæsari, quæ iam esse sentis belli ipsius impetu, quod necesse fuit perpulsa atq; prostrata, constituenda iudicia, reuocanda fides, comprimendæ libidines, propaganda soboles, omnia, quæ delapsa iam fluxerunt, seueris legibus uincienda sunt. Non fuit recusandum in tanto ciuili bello, tantoq; animorum ardore, & armorum, quin quassata respublica quicumq; belli euentus fuisset, multa perderet, & ornamenta dignitatis, & præsidia stabilitatis suæ, multaq; uterq; dux faceret, armatus, quæ idem togatus prohibuisset, quæ quidem tibi nunc, tibi omnia belli uulnera sananda sunt, quibus præter te mederi nemo potest.

Distributio textus.

Amplificatio à tempore, quod parcere authoribus pacis post uictoriam plus sit, quàm cum exitus adhuc incertus est, Addidit de Marcello, quod is quoq; fuerit author pacis, id exemplum pertinet ad Enthymema supra positum. Deinde confert Cæsarem cum aduersarijs, qui non fuerant tam moderati in uictoria futuri.

Epiphonema. A causa quod diuinitus acciderit, alioqui enim funditus perituram fuisse Rempublicam, nisi tam moderatus uictor contigisset.

Sequitur conclusio principalis totius primi negocij, continens laudem huius clementiæ & adhortatio

tatio

PRO MARCO MARCELLO.

tationem, ut pergat seruare ciues.

Deinde accedit ad alterum negocium huius orationis uidelicet ad purgationem suspicionum Cæsaris. Vbi primum est inficiatio Non est credibile quemquam insidiari uitæ Cæsaris. Ratio habet διλήμματα, nec tui, nec hostes possunt insidiari. Postea addit concessionem.

Sed sint tamen aliqui tam improbi, qui te saluum esse nolint, Huic concessionem opponit locum firmiterem, scilicet adhortationem de cauendo.

Addit rationes ex necessitate Reipublicæ. Non potest restitui Respublica, nisi à te uno. Igitur debeste Reipublicæ seruare.

Textus.

Itaque illam tuam præclarissimam et sapientissimam uocem inuitus audiui, satis te diu uel nature uocis xisse, uel gloriæ. Satis si ita uis nature fortasse, addo quam cretam si placet gloriæ, at quod maximum est, patriæ bro usurpate certe parum. Quare omitto quæso istam doctorem solebat rum hominum in contemnenda morte prudentiam, Cæsar. noli nostro periculo sapiens esse. Sæpe enim uenit ad Concessio. aures meas, te idem istud nimis crebro dicere satis I. tetibi uixisse. Credo, sed tum id audirem, si tibi soli NAT V. uiueres, aut si tibi etiam soli natus esses, nunc cum omni RAE. nium salutem ciuium, cunctamque Rempublicam res tuæ gestæ complexæ sint, tantum abes à perfectio: A causa finali. ne maximorum operum, ut fundamenta, quæ cogitanti.

tas, nondum ieceris . Hic tu modum uitæ tuæ, non salute reipublicæ, sed æquitate animi definies.

II.
G L O.

Inuersio.

A definiti-
one gloriæ

Conclusio
adhortato-
ria ad con-
stituendam
rempub.

III.

DIV
Confutat
tertiã par-

tem Cæsa-
riæ uo-

Quid? si istud ne gloriæ quidem tuæ satis est, cuius te esse auidissimum, quamuis sis sapiens, non negabis. Parum ne igitur inquires, gloriam magnam relinquemus? imò uero alijs, quamuis multis, satis tibi uni parum. Quicquid enim est, quamuis amplum sit, id parum est tunc cum est aliquid amplius. Quod si rerum tuarum immortalium C. Cæsar hic exitus futurus fuit, ut deuictis aduersarijs rempublicam in eo statu relinqueres, in quo nunc est, uide queso, ne tua diuina uirtus admirationis plus sit habitura, quam gloriæ. Siquidem gloria est illustris, ac peruagata multorum & magnorum uel in suos ciues, uel in patriam, uel in omne genus hominum fama meritorum. Hæc igitur tibi reliqua est pars, hic restat adhortatus, in hoc elaborandum est, ut Rempublicam con-stituas, eaq; tu in primis composita, summa tranquillitate & ocio persuere, Tum te, si uoles, cum & patriæ quod debes, solueris, & naturam ipsam expleueris facietate uiuendi satis diu uixisse dicito. Quid enim est hoc omnino ipsum diu in quo est aliquid extremum, quod cum uenerit, omnis uoluptas præterita pro nihilo est, quia postea nulla futura sit. Quanquam iste tuus animus nunquam his tem Cæsar angustijs, quas natura nobis ad uiuendum dedit, riciæ uo, contentus fuit, semper immortalitatis amore flagruit

PRO MARCO MARCELLO.

grauit. Nec uero hæc tua uita dicenda est, quæ corpore cis à natura
re & spiritu continetur, illa inquam, illa uita est tua ra mentis.
Cesar, quæ uigebit memoria sæculorum omnium, IIII.
quam posteritas alet, quam ipsa æternitas semper VIXI.
intuebitur, Huic tu in seruias, huic te ostentes oportet,
quæ quidem, quæ miretur iam pridem multa habet, nunc etiam, quæ laudet expectat. Obstupescant
posteriores certa imperia, prouincias, Renum, Oceanum, Exhortati
Nilum, pugnas innumerabiles, incredibiles uictorias, o ad consti
monumenta, munera, triumphos audientes & legen tuendam
testuos. Sed nisi hæc urbs stabilita tuis consilijs, & in rem publicam
stituta erit, uagabitur modo nomen tuum longe atq; cam.
late, sedem quidem stabilem & domicilium certum Collatio.
non habebit. Erit inter eos etiam qui nascentur sicut A postero
inter nos fuit magna dissensio, cum alij laudibus ad rum iudi
coelum res tuas gestas effèrent, alij fortasse aliquid re= cijs.
quirent, idq; uel maximum nisi belli ciuilibus incendium
salute patriæ restinxeris, ut illud fati fuisse uideatur,
hoc consilij. Serui igitur ijsetiam iudicibus, qui mul
tis post sæculis de te iudicabunt, & quidem haud scio
an incorruptius quàm nos, Nam & sine amore, &
sine cupiditate, & rursus sine odio, & sine inuidia
iudicabunt. Id autem, etiam sit tunc ad te, ut quidam
falso putant, non pertinebit, nunc certe pertinet, te
essetalem, ut tuas laudes obscuratura nulla unquam
sit obliuio.

Distributio textus,

Amplia

O R A T I O

Amplificat institutam adhortationem confutatione cuiusdam dicti, quod primum reprehendit ex causis finalibus, Satis uixisti naturæ & gloriæ, sed non patria, qui Reipublicæ adhuc opus est tua incolumitate.

Secundo sequitur inuersio de gloria, Imo nec gloriæ satis uixisti, & ratio sumitur ex definitione, Perfecta est gloria quam pariunt insignia merita erga homines, illa non est uere gloria, si quis quamlibet magnas res gesserit, & relinquat Rempublicam in periculo.

Tu ita demum bene mereberis de toto genere humano, cum hanc Rempub. constitueris. Igitur tum demum dicito, te satis diu uixisse gloriæ, cum Rempublicam constitueris.

Tertio reprehendit particulam, diu ex collatione uitæ perituræ, Estq; propositio. Non deest tempus uitæ desitutum respicere sed æternitatem.

Postremo non laudabit te posteritas si nullam aut dissipatam Rempublicam reliqueris. Tunc enim nulla erit posteritas. Ergo da operam ut eam constituas.

Textus.

Redit ad se Diuersæ uoluntates ciuium fuerunt, distractæq; cundã par= sententiæ. Non enim consilijs solum & studijs, sed tem orati= armis etiam & castris dissidebamus, erat autem ob= onis nemi= scuritas quædam, erat certamen inter clarissimos
nem Cæsa= duces

PRO MARCO MARCELLO.

duces, multi dubitabant, quid optimum esset, multi risu ita in-
quid sibi expediret, multi quid deceret, nonnulli etiam sidiari.
quid liceret. Perfuncta est Respub. hoc misero fata-
liq; bello, uicit is, qui non fortuna inflammaret odium
suam, sed bonitate leniret, neq; omnes, quibus iratus
esset, eosdem etiam exilio, aut morte dignos iudica-
ret. Arma ab alijs posita, ab alijs erepta sunt, ingra-
tus est iniustusq; ciuis, qui armorum periculo libera-
tus, animum tamen retinet armatum, ut etiam ille
sit melior, qui in acie cecidit, quam qui in causa ani-
mam profudit (quæ enim pertinacia quibusdam ea-
dem alijs constantia uideri potest) Sed quia iam omnis
fracta dissentio est armis extincta æquitate uictoris,
restat ut omnes unum uelint qui habent aliquid, non
solum sapientiæ, sed etiam sanitatis. Quia nisi te C.
Cæsar saluo, & in ista sententia, qua cum antea, tum
hodie uel maxime usus es, manente, salui esse non pos-
sumus. Quare omnes te, qui hæc salua esse uolumus,
& hortamur, & obsecramus, ut uitæ, ut saluti tuæ
consulas, omnesq; tibi, ut pro alijs etiam loquar, quòd
de me ipso sentio, quoniam subesse aliquid putas quod
cauendum sit, non modo excubias & custodias, sed
etiam laterum nostrorum oppositus, & corporum
pollicemur.

Sed ut unde est orsa, in eodem terminetur oratio
mea, maximas tibi omnes gratias agimus C. Cæsar, Peroratio
maiores etiam habemus. Nam omnes idem sentiunt primæ par-
K quod

Amplifica-
tio à loco
communi
ingratitudi-
nis.
Epilogus
secundæ
partis ora-
tionis.

Adhorta-
tio ut peri-
cula caue-
at.

Peroratio
primæ par-

P R O M A R C O M A R C E L L O

tur, et addit $\omega\alpha\theta\theta$, quod Principes ipsi promittant se futuros corporis eius custodes.

Ad extremum redit ad Marcelli causam, et cum supra beneficium Caesaris laudauerit, nunc in fine gratias agit, Primum publicè nomine omnium, deinde priuatim suo.

D E L O C I S C O M M V N I B V S.

Quid sunt loci communes?

Loci communes uocantur non tantum uirtutes, et uitia, sed in omni doctrinæ genere, præcipuè loci qui fontes et summam artis continent, ut alij sunt in philosophia naturali, alij in morali, alij in Astronomia, alij in sacris literis, alij in iure.

Quomodo cognoscuntur loci communes?

Ita recte cognosci possunt, si artes illæ, in quibus uersantur, perfecte cognitæ fuerint, et nosse huiusmodi locos, est perfectam eorum notitiam habere, tenere definitiones, causas, fontes, effectus, peruidere quid sit certum, quid incertum in uno quoque.

Quis est usus communium locorum?

Adhibentur loci communes, et ad probandum et ad amplificandum. Nam omnis oratio ad locos communes referenda est, è quibus tanquàm fontibus, promanant omnes causæ, ideo scripturi diligenter

K 2 obserua

Q V A E S T I O. R H E T O.

obseruent, qui loci communes cum causa cognati sint, eoq; sensim traducant orationem, inde argumenta, amplificationesq; petant, ut cum apud Terentium. Mitio suum de instituendo filio consilium exponit, de clementia, & aequabilitate animi grauiſſimè dicit. Hæc orationis pigmenta sunt, quibus tanquàm iniungi solet, ut plenior & uenustior fiat. Ideo oratio saepe ab Hypothesi ad Thesin transferenda est.

Quid est Hypothesis?

Est questio specialis, definita personis, & circumstantijs, ut sit ne Catoni iam seni uxor ducenda.

Quid est Thesis?

Est questio generalis, quæ non definitur certis personis, temporibus & alijs circumstantijs, ut, Sit ne uxor ducenda, Atq; his Thesis tractandis exercebantur olim futuri oratores, imò iam Cicero princeps in Republica his exerceri solebat.

DE AFFECTIBVS.

Quid est Affectus?

Est circumstantiæ Emphasis, misericordiam aut iram mouens, aut aliud huius generis. Nam facti circumstantiæ, mouent uel misericordiam uel iram, cum excutitur, quid factum sit, à quo, in quem, quo animo, quo tempore, quo loco, quo modo.

Quotupli.

GEORG. MAIO.

Quotuplices sunt affectus?

Duplices, Nam alij affectus sunt leniores, qui uocantur ἡδῆ, in quibus dicendi genus placidum debet esse, ac mite, nihil superbum, nihil elatum. Ideoq; huic affectuum genere medius ille orationis modus maxime conuenit, & uerba blanda, quæ significationem humanitatis atq; officij præbeant, qualia hæc sunt apud Comicum.

Mi Pamphile huius formam atq; ætatem uides,
Nec clam te est, quàm illi utræq; res inutiles
Et ad pudicitiam & ad tutandam rem sient,
Quod ego hanc per te dextram oro & genium tuum,
Per tuam fidem, perq; huius solitudinem.
Te obtestor, ne abste hanc segreges, neu deseres,
Si te in germani fratris dilexi loco.
Siue hæc te solum semper fecit maximi,
Seu tibi morigera fuit in rebus omnibus,
Te isti uirum do, amicum, tutorem, patrem,
Bona nostra hæc tibi committo & tuæ mando fidei.

Alij sunt affectus uehementiores, qui dicuntur πῶδῆ, In his utendum est atrocibus & Tragicis uerbis, quale est illud Vergilij de Priami cæde,
altaria ad ipsa trementem.

Traxit, & in multo lapsantem sanguine gnati,
Hic in singulis uerbis, singuli affectus sunt.
Primum auget atrocitatem cædis, quòd ad aras fit,
Postea πῶδῆ est, in oculos incurrens, & tanquam

QVÆSTIO RHETORICA.

Picture, quod ait trementem, Item traxit & lapsantem in sanguine, sed atrocissimum est, quod in gnati sanguine uoluitur, Itaque quod summum erat, in postremum locum distulit, Talis est tota pathetica descriptio Cyclopi in 3. Aeneid. Quomodo autem facti atrocitas sit augenda, & concitanda inuidia, odium, aut miseratio, consulendi sunt Cicero & Quintilianus. Nam satis est principio hæc elementa tenere.

DE DISPOSITIONE.

Quid est Dispositio?

Est partium orationis & argumentorum apta collocatio,

Quotuplex est?

Duplex, Generalis & Specialis.

Quæ est Generalis?

Generalis est maiorum membrorum, nempe ut primo loco Exordium, proximo Narratio, deinde Propositio, mox Confirmatio & Confutatio, ac postremo Peroratio ponatur.

Quæ est Specialis?

Specialis quæ singula argumenta suo disponit loco, atque hoc est magnæ industriæ uidere, quo loco, quodque argumentum maxime niteat. Utilissimum uero fuerit, diligenter Ciceronis orationes intueri, & inde dispositionis formulas & exempla petere.

FINIS PRIMI LIBRI.

Libeꝛ

LIBER SECVNDVS
DE ELOCVTIONE.

Quid est Elocutio?

Est quæ dilucida & perspicua oratione eas res exponit, quas mente conceperis.

Quot sunt partes Elocutionis?

Tres, nam uniuersa eloquendi ratio consistit in his tribus rebus, Primum in sermone Grammatico, Deinde in figuris, Tertio in amplificationibus.

Qui est sermo Grammaticus?

Est qui constat uerbis usitatis, proprijs & significantibus, quæ iuxta Grammaticæ præcepta certa ratione coniungi & construi debent, & in quo phrasis & uocum coniunctio imitatur consuetudinem eorum, qui eleganter & uerè latinè, & non molestè locuti sunt, ut fuerunt Terentius, Cicero, Caesar, Liuius, & alij quidam.

DE FIGVRIS.

Quot sunt figurarum ordines?

Tres, primus ordo pertinet tantum ad dictionem figurandam, Secundus ad orationem, Tertius ad orationem augendam & amplificandam.

Quotuplex est primus ordo?

Duplex, nã dictio figuratur aut tropo, aut schemate.

Quid est Tropus?

Est cum uox à propria significatione ad cognatam uertitur, ut Liuius scribit Catonem solitum Scipionis magnitudinem allatrare, hic apparet non retine-

QV AESTIO. RHETO.

ri propriam significationem uerbi allatrandi.

Quotuplex est Tropus?

Duplex, dictionis & orationis.

Qui sunt tropi dictionis?

Metaphora

Synechdoche

Metonymia

Antonomasia

Periphrasis

Onomatopœia

Catachresis

Metalepsis.

Quid est Metaphora?

Est cum uox à genuina ac propria significatione ad non propriam sed cognatam transfertur, ut teneo, pro intelligo, id, quibus et quot modis fiat, docet Erasmus, in primo commentario Copiæ.

Quid est Synechdoche?

ὁρωνδὸς ἢ ἀπὸ τοῦ ὅλου ἀπὸ τοῦ μέρους ἀπὸ τοῦ γένους ἀπὸ τοῦ ἑξῆς ἀπὸ τοῦ ἀνακλιμένου. comprehensio dicitur, cum ex uno plura intelligimus, & hæc fit quinque modis. Primum cum pars pro toto ponitur, ut tectum pro domo, Deinde cum totum pro parte, ut cum dicimus exercitum cesum esse, quia plurimi sint interfecti, Tertio, cum species pro genere ponitur, ut Acheloia pocula pro quouis fluuio. Quarto, materia pro re confecta, ut ferrum pro gladio. Quinto, ex præcedentibus sequentia, uixerunt pro mortui sunt.

Quid est Metonymia?

Μετωνυμία est nominis pro nomine positio, cum uicinum nomen pro uicino ponitur, ut sceptrum pro regno. Et fit quinque modis. Primum cum
inuentor

GEORG MAIO.

inuentor pro re inuenta ponitur, ut Ceres pro frugibus, Bacchus pro uino. Deinde cum continens pro contento, ut epotos cados pro uino epoto. Tertio efficiens pro effectu, ut melior remis, pro uelocior. Quarto dux pro exercitu, Romani uicti sunt ab Annibale, Postremo, cum author pro opere ponitur, ut, Cicero semper in manibus habendus.

Quid est Antonomasia?

ΑΥΤΟΝΟΜΑΣΙΑ est cum pro proprio nomine aliud ponimus, ut pro Paulo, Apostolus, pro Vergilio, poeta, pro Aristotele, philosophus.

Quid est Periphrasis?

Periphrasis est circuitio nominis, ut, Troianibelli scriptorem dixit Horatius pro Homero.

Hæc fit tribus modis. Etymologia, ut pro Philosopho si dicas hominem sapientie studiosum. Notatione, ut si dicas cubito se emungit, pro salsamentario. Finitione, ut cum pro Rhetorica, dicendi artem dicimus.

Quid est Onomatopœia?

ΟΝΟΜΑΤΟΠΙΙΑ fictio nominis est, ut, Taratantara, Bombarda.

Quid est Cathachresis?

ΚΑΤΑΧΡΗΣΙΣ est uerbi abusio, cum nomen deest, quo res appellari debeat, ut si Parricidam dicas pro eo, qui hominem aut amicum occiderit.

Quid est Metalepsis?

Κ 5

ΜΕΤΑΛΗΣΙΣ

Q V A E S T I O. R H E T O.

Μετὰληψις transumptio dicitur, cum nomen sumitur à causa, aut effectu, ut, pallida mors, quia facit pallere corpora, uinum calidum, quia calefacit, atq; hi sunt tropi dictionis.

Qui sunt tropi orationis?

Allegoria, cuius species sunt ænigma, parcœmia, ironia, sarcasmus, astysmus, mycterismus, antiphrasis & charientismus. Deinde numerantur inter tropos quoq; Hyperbole, Icon, Parabola, & Paradigma.

Quid est Allegoriæ?

Αλεγορία, quam inuersionem interpretantur, est cum aliud uerbis, aliud sensu ostenditur, quale illud, Soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud. Nam de templo corporis sui loquitur Christus.

Quid est Aenigmæ?

Est oratio ex qua propter obscuritatem, nihil certi colligi potest, quale est illud Vergilij in iij. Aegloga, Dic quibus in terris, & eris &c.

Quid est Parcœmiæ?

Est (ut Diomedes definit) prouerbij uulgaris usurpatio, rebus temporibusq; accommodata, cum aliud significatur quàm dicitur, qualia sunt, uti foro, seruire scenæ, &c.

Quid est Ironiæ?

Est illusio, quæ non ex uerbis, sed uel pronuntiatione

GEORG. MAIO.

tione, uel persona, uel rei natura intelligitur, ut in Andria Pamphilus ad Dauum, Ehodum bone uir, quid ais?

Quid est Sarcasmus?

Est cum hostis calamitatem exprobat hosti, Vergil. En agros, & quam bello Troiane petisti, Hesperiam metire iacens, & in Psalm. 21. Sperauit in Domino, eripiat eum, saluum faciat eum, quia uult eum, Verbum σαρκασμῶν significat rictum irritati canis, hinc translatum est ad exprobrationem.

Quid est Astyismus?

Est longè petitus iocus, adeoq; inexpectatus, de re aliqua absurda, ut ille Vergilij, atq; idem iungat Vulpes & mulgeat Hircos.

Quid est Mysterismus?

ΜΥΣΤΗΡΙΣΜΟΣ in gestu magis est, quàm in uerbis, ΜΥΣΤΗΡΙΣΜΟΣ nasum suspendo, subsanno.

Quid est Antiphrasis?

Est unius uerbi Ironia, ut cum stolidum acutum dico.

Quid est Charientismus?

Est, cum dura, mollioribus uerbis, per iocum notantur, bona uerba quaeso?

Quid est Hyperbole?

Est cum fidem superat uocabulum, amplificandi minuendiue gratia, ut de Polyphemo. Vergil. Ingens, ipse arduus, altaq; pulsat sydera.

Quid

QVÆSTIO RHETO.

Quid est εἰκὼς?

Est comparatio hyperbolica, ut, Os humerosq; Deo similis.

Quid est Parabola?

Est comparatio rerum, genere differentium, quales in Evangelio plurimæ sunt.

Quid est παραδειγμα?

Est quum ex historia petitur exemplum de his tropis, uide copiam Erasmi, ubi omnia copiose explicantur.

Cæterum hoc monendum est, quod non horum modo, sed & superiorum troporum allegoriæ, paræmiæ, ironiæ, etiam ad orationem ornandam, non tantum dictionem figurandam sit usus, Et parabole, paradigmata & prouerbia ad argumenta quoq; referri à Quintiliano.

DE SCHEMATIBVS.

Quid est Schema?

Est uocis inflexio, quæ auribus tantum inseruit, neq; hic uocis significatio mutatur sicut in tropo.

Quotuplex est Schema?

Duplex, Grammaticum & Rhetoricum.

Quotuplex est Grammaticum Schema?

Duplex, Orthographicum, & Syntacticum.

Quæ sunt Orthographica Schemata?

Prosthesis

Epenthesis

Paragoge

Apheresis

Syncopa

Apocopa

Ectasis

GEORG. MAIO.

Estasis Systole Synalepha. &c.
De quibus uide Donatum, & Mosellani tabulas.

Quæ sunt Syntactica:

Prolepsis, Zeugma Syllepsis,
Synthesis, Synechdoche Antiptosis
Hyperbatum, quæ in Grammatica explicata sunt.

Quæ sunt Rhetorica Schemata:

Repetitio, Complexio, Copulatio,
Traductio, Asyndeton, Polysyndeton,
Homeoptoton, Homioteleuton, Hypallage,
Paronomasia, Antanaclassis, Aposiopesis,
Ellipsis.

Quid est Repetitio:

Est cum eadem uox repetitur, ut,
At non ingenio quæsitum nomen ab æuo,
Excidet, ingenio stat sine morte decus:

Varie sunt repetitionis species.

ἀναφορὰ dicitur, cum repetitio fit in principio diuer-

sarum orationum, ut,
Auro conciliatur amor,
Auro pulsa fides, auro uenialia iura,
Aurum lex sequitur.

ἐπαναλίψιν aut ἐπαναδίπλωσιν, uocant cum
idem uerbum in initio & fine ponitur, ut multa super
Priamo rogitans super Hectora multa.

ἀντισημῶν, aut ἐπιφορὰν dicunt, cum com-
mata eisdem uocibus clauduntur, ut, Pœnos populus
Romanus

Q V A E S T I O . R H E T O .

Romanus iusticia uicit , armis uicit liberalitate uicit.

Παλιλογία , seu ἀναδιπλόσις aut ἐπιζεύξις est , cum repetitur eadem uox continenter in eadem oratione, non in diuersis membris.

Quid est Complexio?

Est quando & in principio, & in fine eadem uox repetitur, & est cognata superioribus, ut , quem senatus damnauit , quem populus Romanus damnauit, quem omnium existimatio damnauit, eum uos sententijs uestris absoluetis.

Quid est Copulatio?

Est cum uerbum repetitur cum quadam peculiari significantia, ut, ad illum diem Memmius erat Memmius, hoc est, sui similis, Græci uocant τὸ λουήρ.

Quid est Traductio?

Est repetitio eiusdem uerbi , sed diuerso casu, ut, diuitias sine diuitum esse, tu uero uirtutem præfer diuitijs , Nam si uelis diuitias cum uirtute comparare, uix satis idoneæ uidebuntur diuitiæ quæ uirtutis perdisse quæ sint.

Quid est Assyndeton?

ἀσυνδέτορ, siue διόλυτορ, cum multa sine conjunctione coherent, ut , ferte citi flammæ, date telæ impellite remos.

Quid est πολισυνδέτορ?

Est contrarium Schema , ubi oratio multis conjunctionibus

iunctio

GEORG. MAIO.

iunctionibus coheret, ut, Athamasq; Thoasq;.

Quid est ὁμοιότης?

Similiter cadens in nominibus dicitur, cum duo aut plura orationis membra, iisdem casibus efferuntur hoc modo, hominem laudas, egentem uirtutis, abundantem foelicitatis.

Quid est ὁμοιότης λέυτος?

Similiter desinens est, cum in alijs partibus orationis simili sono desinunt commata, aut cola, ut, audacter territas, humiliter placas.

Quid est Hypallage?

Est quoties oratio conuerso rerum ordine effertur. Poëtis familiarior, ut apud Vergil, Dare classibus auros.

Quid est ἀνομομασία?

Agnominatio est, cum similitudine literarum deflectimus uocem in contrarium, ut, inceptio est amantium, non amantium. Fit autem uarijs modis, literarum additione, mutatione, detractio, translatione, ablatione, de quibus Cicerone ad Heren.

Quid est ἀτανανλάσις?

Cum in eodem uerbo inest ambiguitas, aut contrarium significatum, ut, amari iucundum est, si curetur, ne quid insit amari. Tale est illud Augusti, ad Galbam, cuius informe gibbo erat corpus, cui agenti apud Augustum causam & frequenter dicenti, corripge in me si quid reprehendis, respondit Augustus,
ego

Q V A E S T I O. R H E T O.

ego te monere possum, corrigere non possum.

Quid est Eclipsis?

ἐκλειψίς, cum deest aliquis casus, ut, ego ne illam?
quæ me? quæ nō? etc. Græci uocant ἀναυτὰ πόδοτα,
hoc est, non reddita, ut in Galatis. Ne libertatem in
occasionem carni.

Quid est Apopsiopeſis?

Reticentia, est cum interrumpitur sermo propter
aliquem affectum, ut Vergilius. Quos ego, sed præstat
motos componere fluctus.

Hæ sunt figuræ primi ordinis, quibus
dictio figuratur.

Quæ sunt figuræ secundi ordinis?

Quæ ad orationem figurandam pertinent, quæq;
motum siue gestum quendam orationi addunt.

Quæ sunt?

Interrogatio,	Subiectio,	Exclamatio.
Dubitatio,	Paradoxum,	Communicatio.
Permissio,	Licentia,	Auersio.

Quid est Interrogatio?

Interrogationem Græci ἐρώτημα uocant, est qua
rogamus aut percortamur, ut, Sed uos qui tandem?
quibus aut uenistis ab oris? Huius uariis est usus, Ha-
bet enim uim instandi miserationis, indignationis, mo-
uendæ inuidiæ, Admirandi, imperandi, atq; similium
affectum de quibus Quintilianus.

Quid est Subiectio?

Est,

GEORG. MAIO.

Est cum ipsi respondemus nostræ interrogationi,
ut, Egon, propter me illam decipi miseram sinam?
Non faciam.

Quid est Exclamatio?

Exclamatio est, quale illud est, O cœlum, ô terra,
ô maria Neptuni, Atq; huc pertinent, imprecatio,
obtestatio, & ominatio. Habent enim exclamations
uaria affectuum genera, ut, iram, gaudium, timorem,
dolorem, admirationem, indignationem, optationem,
& his similia.

Quid est Dubitatio?

Dubitationem Græci ἀπορία uocant, cum du-
bitare & nescire nos aliquid significamus, ut, equi-
dem, quò me uertam nescio.

Quid est Παραδοξον?

Inopinatum, ut, Pollio nunquam credidi fore iudi-
ces, ut reo Scauro, ne quid in eius iudicio gratia uale-
ret, precarer, Huc pertinent ἀδύατον, Dicit non
potest quàm mihi iucundæ fuerint literæ tuæ, Et ora-
tiones in quibus mirandi uerbis utimur, ut Paulus in
Gala. Miror quod tam citò transferimini.

Quid est Communicatio?

Est cum iudicem, uel aduersarium, ueluti in consi-
lium adhibemus, ut quæso te, quid tu faceres, si illo te
coesses.

Quid est Permissio?

Est quando aliquid conceditur, Scripserit sat. sic
L. F. Agua

Q V A E S T I O R H E T O .

Augustinus, Verum hæc non eius fuit sententia.

Quid est Licentia?

Γαργήσιον Græci uocant, cum abutimur libertate, ad conciliandam nobis uel fidem, uel auctoritatem, quale est illud Daui ad Simonem, & quod dicendum hic fiet.

Tu quoq; per parcè nimium non laudo.

Quid est Auerfio?

ἀποστροφὴ est cum ad aliquem conuertimus sermonem, ut.

Haud procul inde citæ Metium in diuersa quadrigæ Distulerant, at tu dictis Albane maneres, Raptabatq; uiri mendacis uiscera Tullus.

Quæ sunt figuræ tertij ordinis?

Quæ non tam orationem exornant, quàm ipsum orationis corpus augent & amplificant, sunt uero.

Auxesis	Tapinosis seu	Meiosis, q̄ singulis
uerbis fiunt,	Synonima	Incrementum
Gradatio	Congeries	Contentio
Contrariū seu	Antithesis	Commutatio
Cōmunicati	Regressio	Responso
Præteritio siue	Paralepsis seu	Occupatio
Præsumptio	Transitio	Metabasis
Correctio	Interpositio	Reiectio
Ætiologia	Excusatio	Finitio
Hypotyposis	Expolitio	Distributio
Diuisio	Prosopopœia	Sermocinatio

Chronon

GEORG. MA

Chronographia Topographia Comparatio
Sententia Apophtegma Epiphonema
Noëma Patopœia.

Quid est Auxesis?

Est cum amplificandæ rei gratia uerbum atrocius
subijcimus loco proprij, ut cum latronem, uoco eum
qui sit improbus.

Quid est ταπένωσις seu
μείωσις?

Est, cum extenuandæ rei gratia, uerbum mollius
siue mitius, loco proprij subijcimus, ut cum attigisse
dici mus eum, qui pulsauit, atq; hæ duæ figuræ fiunt
singulis uerbis.

Quid est Synonimia?

Est cum multa uerba eiusdem penè significationis
eidem tribuuntur, ut, debeo conari manibus pedibus,
noctesq; & dies.

Quid est Incrementum?

Est, cum non eiusdem significationis uerba con-
iungimus, sed per gradus ab infimis ad summa imus,
ut, abiit, euasit, erupit.

Quid est Gradatio?

κλίμαξ est, cum per gradus itur, ab alijs ad alia
repetito præcedendi uerbo, ut in Ro. Tribulatio pa-
tientiam affert, patientia probationem, probatio
spem. Est uero eius usus, cum uel causas, uel effectus
connectimus.

Q V A E S T I O. R H E T O.

Quid est Congeries?

Ζωα' ἄθροισμος, uocatur, cum multæ species congeruntur, ut Liuius de Annibale, Has tantas uiri uirtutes, ingentia uitia æquabant, Inhumana crudelitas, perfidia plus quàm punica, nihil ueri, nihil sancti, nullius Dei metus, nullum iusiurandum, nulla religio.

Quid est Contentio seu Contrarium?

Græci ἀντίθεσις uocant, cum per contraria amplificamus seu declaramus aliquid, Est quæ hoc Schema omnium frequentissimum, Sic Paulus, Quod si per gratiam non iam ex operibus &c. sic Ouid.

Ocia corpus alunt, animus quoque pascitur illis,
Immodicus contra carpit utrumque labor.

Quid est Commutatio?

ἀντιμεταβολή seu μετ' ἄθεσις fit contrarijs transpositis, ut esse oportet ut uiuas, non uiuere, ut edas, sic Paulus in Rom. Si circumcisio præuaricatoris præputium fit, consequitur ut præputium obseruans legis fiat circumcisio.

Quid est Communicatio?

Ζωοικείσις, est cum contrarium contrario tribuitur, ut idem peccant prodigus & auarus, quia neuter rebus recte utitur.

Quid est Progressio?

ἠπάνοδος cum per prolepsin diuersitatem aliquam in partibus indicamus, ut, uicerunt Romani, mari, Carthaginenses, terra Gallos.

Quid

GEORG. MAIO.

Quid est ἀνθυποφορά seu ἀντιπαγωγία?

Est cum quidem concedimus quiddam aduersario, sed subiicimus aliud firmitus quo oppositum argumentum tollitur, ut difficilis est labor discendi linguas, sed necessarius.

Quid est Præteritio?

παράληψις, cum simulamus nos præterire quod maxime dicimus M. Cicero uocat occupationem.

Non dicam interim quàm scelestus sis.

Quid est Præsumptio?

προκατάληψις siue occupatio est, cum respondemus tacite obiectioni, ut pro Archia, Ac ne quis à uobis ita hoc dici miretur, quod alia quædam in hoc facultas sit ingenij &c.

Quid est Transitio?

Est cum paucis monemus quid dictum sit, & quid postea simus dicturi, ut hætenus de turpitudine belli, nunc de incommodis dicemus.

Quid est μεταβάσις?

Est cum ab una persona ad aliam transimus, ut Verg. Non hæc Euandro de te promissa parenti,
Discedens dederam.

Quid est Correctio?

ἐπανόρθωσις est, quæ tollit quod dictum est supponens aliud magis idoneum, Cicero pro Milone,
Quas ille leges, si modo leges nominandæ sunt, ac non faces urbis, & pestes Reipublicæ.

Q V A E S T I O . R H E T O .

Quid est Interpositio?

παρένθεσις est, cum in orationem aliquid declarandi causa interponitur, ut Ouid.

Odimus immodicos (experto credite) fastus.

Quid est Reiectio?

ἀνωδιώξις est, cum eludimus aliquid ab aduersario propositum, et significamus uel indignum esse, de quo dicatur, uel monemus, seruatuos nos in alium oportuniorem locum, ut si dicam, Hac de re quid attinet dicere, quando ad institutum non ita multum facit.

Quid est causa?

αἰτιολογία cum propositi causam ostendimus, ut Ter. Enimuero spectatum satis putabam, et magnum exemplum continentiae. Sequitur αἰτιολογία. Nam qui cum ingenijs conflictatur eiusmodi. &c.

Quid est δικαιολογία?

Est cum aliquam officij rationem exponimus aut excusationem quod uidelicet iure, quod honesto faciamus, ut peccauit, sed adolescens, Contradico magistrati, Oportet n. Deo magis parere quam hominibus.

Quid est Finitio?

ὀρισμός est, cum non simpliciter, sed cum definitione aliquid efferimus, ut non est hoc principis, sed Tyranni, Nam bonus princeps non sibi, sed populo gerit imperium.

Quid est Hypotiposis?

Est cum res ita narratur, ut quasi in tabula depicta

GEORG. MAIO.

*pieta esse uideatur, id fit cum diligenter persequimur
circumstantias. Vergilius.*

*Vidi egomet, duo de numero cum corpora nostro,
Prensa manu magna medio resupinus in antro,
Frangeret ad saxum, sanieq; aspersa natarent,
Limina, uidi atro cum membra fluentia tabo.
Manderet, & tepiditremere sub dentibus artus.*

Quid est Expolitio?

*Est quæ eandem sententiam commutatis uerbis expli-
cat. Et in hoc differt à Synonimia, quòd hæc in singu-
lis fit uerbis, illa uero in sententia & oratione, Ouid.*

Fata manent omnes, omnes expectat auarus,

Portitor, & turbæ uix satis una ratis.

Tendimus huc omnes, metam properemus ad unam,

Omnia sub leges mors uocat atra suas,

Quid est Distributio?

*Meioris est, cum commune siue totum quiddam, in
partes aut membra, uel genus in suas species partimur
ut Cicero in Pisonem, iam ne uides, belua, iam ne sen-
tis quæ sit hominum quærela frontis tuæ, nemo quæ-
ritur Syrum nescio quem de grege nouitiorum factum
esse consulem, Non enim nos color iste seruilis, non pi-
losæ genæ, non dentes putridi, deceperunt, oculi, su-
percilia, frons, uultus deniq; totus, qui sermo quidam
tacitus mentis est, hic in fraudem homines impulit,*

Quid est diuisio?

Est cum non communia sed diuersa proponuntur, ut

L 4

si Episcopi

GEORG. MAIO.

Est descriptio temporis, ut, diei, noctis, aurore, ueris, hiemis, autumnus, aestatis, uindemia, &c. de quibus omnibus copiose Erasmus in commentario Copie libro secundo.

Quid est Comparatio?

Comparatio fit uel similium uel dissimilium, ubi maiora minoribus, & minora maioribus conferuntur, ut, Brutus occidit liberos, proditionem molientes, Manlius uirtutem filij morte multauit, Huc pertinent apologi, fabulae, parabola, εἰκόνες, de quibus Eras. in ij. libro de copia.

Quid est Sententia?

Γνώμη est dictum ad mores communes pertinens, ut, Omnia sunt, hominum tenui pendentia filo.

Et certam praesens uix habet hora fidem.

Huc pertinent Apophthegmata, Leges, prouerbia, & omnia ueterum dicta.

Quid est Epiphonema?

Επιφώνημα est amplificatio honestatis, seu dignitatis, utilitatis, facultatis, difficultatis in fine ad dita ad augendam admirationem, ut, A deo in teneris consuescere multum est.

Quid est Noëma?

Est allusio ad sententiam siue ad locum communem, neq; tamen integra sententia, ut aduersae res ita me erudierunt, ut rationem sequi, quam fortunam malim.

L 5 Quid

ORATIO

Quid est παροπία?

Est affectuum uarietas, quæ à circumstantijs, sexu, temporibus, locis, personis & ætatibus petitur.

Vergil libro 9.

Hunc ego te Euriale aspicio? tu ne illa senectæ,
Sera meæ requies? potuisti relinquere solam. &c.

Finis.

ORATIO ANNIBALIS AD

Scipionem ex libro X. tertiæ

Decados Liuij.

Exordium Si hoc ita fato datum erat, ut qui primus bellum
figuratum intuli Populo Romano, quiq; toties prope in mani-
circumdu- bus uictoriam habui, is ultro ad pacem petendam ue-
stone, Ca- nirem, letor te mihi forte potissimum datum à quo
ptat uero pacem peterem. Tibi quoq; inter multa egregia, non
beneuolen- in ultimis laudum hoc fuerit, Annibalem, cui tot de
tiam ab u- Romanis ducibus uictoriam dii dedissent, tibi cessis-
triusq; per se, teq; huic bello, uestris plusquam nostris cladibus
sona. insigni finem imposuisse. Hoc quoq; ludibrium for-
tuna, an casus ediderit, ut cum patre tuo consule cœ-
perim arma, cum eodem Primum Romano Impera-
tore signa contulerim, ad filium eius inermis ad pa-
cem petendam ueniam. Optimum quidem fuerit
eam patribus nostris mentem datam à dijs esse, ut
& uos Italiae, & nos Africae imperio contenti esse-
Narratio. mus. Neq; enim ne uobis quidem Sicilia atq; Sardi-
nia

ANNIBALIS.

nia satis digna precia sunt pro tot cladibus, tot exercitibus, tot, tamq; egregijs amissis ducibus, sed præterita magis reprehendi possunt, quàm corrigi. Ita aliena appetuimus, ut de nostris dimicaremus, nec in Italia solum uobis bellum, nobisq; in Africa est, sed & nos in portis uestris prope ac moenibus, signa armaq; hostium uidistis, & nos ab Carthagine fremitum castrorum Romanorum exaudiuimus. Quod igitur nos maxime abominaremur, uos autem ante omnia optaretis in meliore uestra fortuna de pace agitur, agimusq; ij. quorum & maxime interest pacem esse, & qui quodcunq; egerimus, ratum ciuitates nostræ habituræ sint. Animo tantum nobis opus est, non abhorrente à quietis consilijs, quod ad me attinet, iam ætas senem in patriam reuertentem, unde puer profectus sum, iam secundæ, iam aduersæ res ita erudierunt, ut rationem sequi, quàm fortunam malim. Tuam & adolescentiam, & perpetuam fœlicitatem, ferociora utraq; quàm quietis opus est consilijs, metuo. Non temere incerta casuū reputat, quem fortuna nunquam decepit. Quod ego fui ad Trasimenum, ad cannas, id tu hodie es, uix dum militari etate imperio accepto, omnia audacissime incipientem nusquam se fellit fortuna, Patris & patruī persecutus mortem, ex calamitate uestre domus decus insigne uirtutis, pietatisq; eximie cepisti, amissas Hispanias recuperasti, quatuor inde pu-

nicis

Propositio

Confirmatio.

Amplificatio collatione sui & Scipionis.

O R A T I O.

Congeries rerū à Scipione gestarum. nicis exercitibus pulsis . Consul creatus cum cæteris ad tutandam Italiam parum animi esset, transgressus in Africam duobus his exercitibus casis, binis eadem hora captis simul, incensisq; castris, Syphace potentissimo rege capto, tot urbibus regni eius, tot nostri imperij ereptis, me sextum decimum iam annum hærentem in possessione Italiae detraxisti . Potest uictoriam inquam malle, quàm pacem animus? noui uobis spiritus magis magnos, quàm utiles, &

A fortuna mutabilitate. mihi talis aliquando fortuna affulsit, quod si in secundis dis rebus bonam mentem quoq; donarent dii, non ea solum quæ euenissent, sed etiam ea, quæ euenire possent reputaremus . Ut omnium obliuiscaris aliorum,

Ab utili. satis ego documenti in omnes casus sum, quem modo castris inter Anienem, atq; urbem Romam positis, signa referentem ad moenia Romana uideras, hic cernis duobus fortissimis uiris, fratribus clarissimis imperatoribus orbatum, ante moenia prope obsessæ patriæ, quibus terrui uestram urbem, ea pro mea deprecantem . Maxime cuiq; fortune minime credendum est . In bonis tuis rebus, nostris dubijs tibi ampla ad speciosa danti est pax, nobis petentibus magis necessaria, quàm honesta . Melior tutiorque est certa pax, quàm sperata uictoria, hæc in tua, illa in deorum manu est . Ne tot annorum fœlicitatem in unius horæ dederis discrimen . Cum tuas uires, tum uim fortune, Martemq; belli communem propone

animo,

A N N I B A L I S.

animo, utrinque ferrum, corpora humana erunt? sententio-
 nusquam minus, quam in bello euentus respondent. sa.
 Non tantum ac id, quod data pace iam habere po- Collatio u-
 tes, si praelio uincas, gloriae adieceris, quantum ade- tilitatum
 meris, si quid aduersi eueniat, simul parta ac spera: & incom-
 ta decora unius horae fortuna euertere potest, om- modorum.
 nia in pace iungenda tuae potestatis sunt Publi Corne-
 li, tunc ea habenda fortuna erit, quam dii dederint. In-
 ter pauca foelicitatis, uirtutisque exempla M. Atti: Ab exem-
 lius quondam in hac eadem terra fuisse fertur, qui plo.
 sic uictor pacem petentibus patribus nostris abnuit,
 sed non statuendo tandem foelicitatis modum, nec
 cohibendo effluentem se fortunam, quanto altius
 elatus erat, eo foedius corruit, Est quidem eius qui
 dat, non qui petit conditiones dicere pacis, sed forsi-
 tan non indigni simus, qui nobis metipsis multam ir-
 rogemus, qui non recusamus, quin omnia propter
 quae bellum initium est, uestra sint, Sicilia, Sardinia, Occupatio
 Hispania, quicquid insularum toto inter Africam,
 Italiamque continetur mari. Carthaginenses inclusi
 Africae littoribus, uos quando ita diis placuit, exter-
 na etiam terra marique uideamus regentes imperia.
 Haud negauerim propter non nimis sincere peti- A sua pera-
 tam aut expectatam nuper pacem, suspectam esse sona.
 uobis punicam fidem, multum per quos petita sit, ad
 fidem tuendae pacis pertinet Scipio, uestri quoque ut Peroratio
 audio patres non nihil etiam ob hoc, quia parum di- uncula.
 gnitatis

ORATIO

gnitatis in legatione erat, negauerunt pacem. Annibal peto pacem, qui neque peterem, nisi utilem crederem, et propter eandem utilitatem tuebor eam, propter quem petij. Et quemadmodum quia à me bellum conceptum est, ne quem eius poeniteret, quo ad ipsi non inuidere Dei, prestiti, ita annitar, ne quem pacis per me partæ poeniteat.

ORATIO SCIPIONIS.

Mouet inuidiam ab facto Annibalis.

Confutatio qua belli culpam in Carthaginenses transfert.

Non me fallebat Annibal aduentus tui spe Carthaginenses et presentem induciarum fidem, et spem pacis turbasse, neque tu id sane dissimulas qui de conditionibus superioribus pacis omnia subtrahis, præter ea, quæ iam pridem in nostra potestate sunt. Ceterum sicut tibi curæ est sentire ciues tuos, quanto per te onere leuentur, sic nihil laborandum est, ne quæ tunc pepigerunt, hodie subtracta ex conditionibus pacis præmia perfidiæ habeantur, indigni quibus eadem pateat conditio, ut etiam profit uobis fraus petitis. Neque patres nostri priores de Sicilia, neque nos de Hispania fecimus bellum, et tum Mæmertinorum sociorum periculum, et nunc Sagunti excidium nobis pia ac iusta induerunt arma. Vos læcessisse, et tu ipse fateris, et dii testes sunt, qui et illius belli exitum secundum ius fasque dederunt et huius dant et dabunt. Quod ad me attinet et humanæ infirmitatis memini, et uim fortunæ reputo, et omnia

nia

SCIPIONIS.

nia quaecunq; agimus subiecta esse mille casibus scio.
Ceterum quemadmodum superbe & uiolenter me
facere faterer, si priusquam in Africam traiecissem, te
tua uoluntate cedentem Italia, & imposito in naues
exercitu ipsum uenientem ad pacem petendam aspera-
narer, sic nunc cum prope manu conferta restitantem
ac tergiuersantem in Africam attraxerim, nulla sunt
tibi uerecundia obstrictus. Proinde si quid ad ea, in qua
tum pax conuentura uideatur (quae sunt nosti) multa
nauium cum commeatu per inducias expugnatarum,
legatorumq; uiolatorum, adijcitur, est quod re-
feram ad consilium, sin illa quoq; grauia
uidentur, bellum parate, quoniam
pacem pati non po-
tuistis.



Da 902. 8.


ULB Halle
003 589 048


3



MC







QVAESTI
ONES RHETORICAE
ex libris M. T. Ciceronis, Quintilian
ni, & Pphilippi Mel. collectæ,
& denuo recognitæ,
et auctæ.

PER GEORGIVM
Maiolem.

QVIBVS ADIECTAE SVNT
aliquot orationes, quarum in
dicem uersa pagella in
dicabit.

TUBINGAE APVD HÆS
redes Vlrici Morhardi. Anno
M. D. LIIII.



Comptat

